This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

768m
P93

Digitized by Google

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.
GIFT OF
Halle Muir.
Class 768 m
P93

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUAESTIONUM OVIDIANARUM

CAPITA DUO

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

BRUNO PRESSLER

PARTHENOPOLITANUS



HALIS SAXONUM

TYPIS WISCHANI ET WETTENGELI

MDCCCCIII

Digitized by Google

Digitized by Google

GEORGIO WISSOWA

SACRUM

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

De fabulis et in Metamorphosibus et in Fastis diversum in modum narratis.

De fontibus, quibus usus sit Ovidius in componendis libris superstitibus, saepius atque in diversissimas partes est disputatum ita, ut etiam nunc maxime inter se dissentiant viri docti hac in quaestione, quam excutere in primis est difficillimum, quod non satis habebat poeta Sulmonensis singulas fabularum formas, ut eas aut ipse animo conceperat aut in fontibus invenerat, explicare, sed saepissime narrationibus suis alias aliunde petitas inserere solebat. Vel praecipue Ovidius fabularum formis maxime variis undecunque conquisitis, quae ad suum consilium aptissimae videbantur, vel inter se coniunxit, vel diversissimas contaminavit permulta ex libidine mutans, exornans, nonnulla ex sua ipsius inventione addens secundum naturam atque indolem librorum, quos forte composuit. Praeterea poetam permultis locis sui ipsius imitatorem fuisse docuerunt nos singulorum aut versuum aut verborum similitudines conferentes et Zingerle[1]) et Lueneburgius.[2]) Attamen saepius accidit, ut poeta eandem fabulam retractans vel iisdem fere verbis usus compluribus locis a se ipso discreparet, qua de re iam est disputatum a Gualtario Krassowsky.[3]) Sed cum in Krassowskii

[1]) Antonius Zingerle, *Ovid und sein Verhältnis zu seinen Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern.* lib. I—III, Oeniponte 1869—1872.

[2]) Albertus Lueneburg, De Ovidio sui imitatore. Diss. Regimont. 1888.

[3]) Gualtarius Krassowsky, Ovidius quomodo in iisdem fabulis enarrandis a se ipso discrepuerit. Diss. Regimont. 1897.

Digitized by Google

libello neque omnes recenseantur diversitates, quod infra mihi erit demonstrandum, et auctor de causis, quibus commotus poeta Sulmonensis modo hanc modo illam fabulae formam protulisse videatur, et quanti sit haec res ad explorandos Ovidii fontes perpaucis tantum disseruerit, ad eius explicationes saepius mihi redeundum erit, quoniam mihi proposui hoc in capite examinare fabulas, quas tractavit poeta aliter in Fastis aliter in Metamorphosibus, quos libros praeclarissimos atque elegantissimos materia inter se simillimos esse constat.

Quarum diversitatum primum eas contemplari constitui, quae plurimae inveniuntur in narratione de raptu et reditu Proserpinae, quam in utroque opere exposuit poeta. (Fast. IV 417 sqq. — Met. V 341 sqq.) Neque enim in ulla alia fabula et in Fastis et in Metamorphosibus prolata totiens a se ipso Nasonem discrepasse, quamquam iisdem fere verbis usus est, videbimus, quo ut quaestio de poetae fontibus hac in duplici fabulae narratione adhibitis magna atque difficillima sit, efficitur.

Quibus de fontibus iam est disputatum a Foerstero[4]) et a Krassowskio (l. c. p. 5.). Itaque quod neutri equidem assentiri possum, primum cum his mihi res erit. Foersterus enim bis eandem fabulam explicasse Nasonem praetermittit, atque alterius operis verba perquirens alterius neglegit; cumque ita explicationes poetae nonnullis locis inter se cohaerere non curet, ex duobus diversissimis fontibus sumpsisse eum fabulas contendit. Quam Foersteri rationem falsam esse puto; nam si eadem materia apud eundem poetam bis explicata legitur, in primis quaerendum est, ni fallor, quidnam impediat, ne unum tantum fontem esse adhibitum censeamus; quod ad examinandum duas illas narrationes comparare opus est. Sed hac de re nihil Foersterus.

---

[4]) Richardus Foerster, *Raub und Rückkehr der Proserpina.* Stutgardiae 1874.

Digitized by Google

Krassowskius autem de fabulis agens, quae, quamquam ab Ovidio alio loco aliter enarrentur, tamen ad eundem fontem possint reduci, *luculentum exemplum* praebere obtinet fabulam, quae ad raptum et reditum Proserpinae pertineat. Quod ad demonstrandum satis habet destinare, quibus rebus inter se discrepent narrationes Ovidii, atque declarare, qua de causa modo hanc modo illam fabulae formam adhibuerit poeta. Quibus paucis expositis ita censet: *Qua de causa nihil nos impedit, quominus unum tantum fontem ab Ovidio adhibitum esse censeamus, ut modo in Metamorphosibus modo in Fastis hic aliquid omitteret, illic insereret, sicut natura atque indoles utriusque libri posceret.* Quae sufficere mihi non videntur; nam si scribit Krassowskius poetam hic aliquid omisisse illic inseruisse, praecipue ad demonstrandum, qualem fontem secutus sit Ovidius, perquirendum est, quidnam omisisse et quidnam inseruisse videatur poeta. Nam nulla nisi hac ratione utrum re vera poeta *unum tantum fontem* sit secutus necne decernere nos posse censeo.

Primum igitur, quibusnam consentiant utriusque libri narrationes contemplabor.

Et in Fastis et in Metamorphosibus haec leguntur:

Proserpinam apud Hennam cum comitibus flores legentem a Plutone curru esse raptam. (Fast. IV 420 sqq. — Met. V 385 sqq.).

Cererem toto in orbe terrarum quaesivisse filiam; quam ut et noctu posset invenire, ab Aetna flammiferas incendisse pinus. (Fast. IV 491 sqq. — Met. V 438 sqq.).

Cererem raptoris nomen expertam cum Iove questam esse; quem ut repeteret caelum Proserpina imperasse; sed cum iam apud inferos cibos filia attigisset, ut sex menses apud superos totidemque apud inferos viveret esse diiudicatum. (Fast. IV 587 sqq. — Met. V 509 sqq.).

In primis notabile est omnes has fabulae partes, quibus consentit utraque narratio, pertinere ad raptum et reditum ipsum Proserpinae, non ad illas fabulas, quae

Digitized by Google

huic narrationi in utroque libro sunt adiunctae. Itaque in relatione ipsius raptus et reditus nulla nisi hac una re poetam sibi repugnare existimo, quod in Fastis de filiae raptore Ceres certior fit a Sole, in Metamorphosibus ab Arethusa nympha.

Sed cum Krassowskius alias praeterea discrepantias exstare arbitretur, de hac re nonnulla verba oportet faciam.

In Fastis haec explicantur: Iuppiter a Cerere auxilio vocatus se filiae reditum effecturum pollicetur. Quem ad perficiendum Mercurius ad inferos mittitur. (Fast. IV 605 sq.):

Tartara iussus adit sumptis caducifer alis,
Speque redit citius visaque certa refert.
Rapta tribus, dixit, solvit ieiunia granis
Punica quae lento cortice poma tegunt.

Longe aliter, contendit Krassowskius, *Ovidius rem narrat in Metamorphosibus V 533, quo loco dicit Ascalaphum Proserpinam edentem vidisse idque indicasse hoc modo:*

. . . at Cereri certum est educere natam.
Non ita fata sinunt, quoniam ieiunia virgo
Solverat et, cultis dum simplex errat in hortis,
Puniceum curva decerpserat arbore pomum
Sumptaque pallenti septem de cortice grana
Presserat ore suo. Solusque ex omnibus illud
Ascalaphus vidit. . . . . .

Quas utriusque libri explicationes inter se discrepare iudicat Krassowskius; nam verbis *visaque certa refert,* quae in Fastis legimus, nihil aliud dici nisi Mercurium, quae ipse apud inferos vidisset, retulisse recte ei Zimmermannus explicasse videtur in libello, quo de raptu et reditu Proserpinae fabulas inter se comparavit.[5]) Contra in Metamorphosibus poetam narrare haec vidisse Ascalaphum.

Attamen omnino non hoc modo res se habere mihi

---

[5]) Progr. Lingen 1882; cf. quae dicit Krassowskius l. c. p. 7.

Digitized by Google

videtur; nam optime Fastorum verba cum Metamorphoseon explicatione possunt coniungi hac ratione:

Mercurius refert ea, quae certa sunt, quod visa sunt; et idcirco, quod visa sunt, Ceres minime potest dubitare.

Praeterea iam aliam repugnantiam inveniri Krassowskius putat, quam neque ipsam probare possum.

Contendit enim poetam Cererem ipsam ad filiam descendentem in animo habuisse, cum dicat in Metamorphosibus v. 533:

. . . . . at Cereri certum est educere natam.

Et ut huic sententiae fidem faciat, addit etiam alios poetas Cererem ad inferos descendentem descripsisse. Quibus nihil posse demonstrari contendo, nam alii poetae omnino alia hac de fabula tradiderunt.

Ovidium autem hoc loco aliam fabulae formam spectare iam inde apparere puto, quod Proserpinam Ascalaphum punivisse narrat. Nam si Ascalaphus ipsi Cereri haec nuntiasset, futurum fuisse ut dea ipsa eum mutaret, non Proserpina, mihi verisimillimum videtur. Ita autem, cui nuntiasset Ascalaphus, poeta omisit, sed tantum scripsit (Met. V 542):

Vidit et indicio reditum crudelis ademit.

Itaque hoc modo optime utriusque libri narrationes contineri puto:

Mercurius ad Plutonem missus Proserpinam grana illa Punica comedisse comperit. — Ascalaphus antea haec viderat et indicaverat. — Itaque Proserpina irata, quod Ascalaphi sermone a reditu prohibetur, eum in bubonem mutat.

Poeta quidem haec in Metamorphosibus, illa in Fastis explicavit, sed discrepantiam hac ratione exstare mihi persuadere non possum.

At profecto alia re hoc loco sibi repugnat poeta, quod in Fastis tribus, in Metamorphosibus septem granis Punicis Proserpinam fruitam esse explicat; quae poetae errore esse orta Krassowskius censet. Sed Ovidium, quem

Digitized by Google

sine dubio alteram narrationem componentem alteram inspexisse infra videbimus, ita errasse equidem non puto; nam cum poetam libenter fabulas variasse nemo ignoret, etiam hoc loco eum consulto varios numeros tradidisse censeam.

Multo mirabilius est, quod in Fastis poeta Solem in Metamorphosibus Arethusam raptoris indices reddidit; et assentior Krassowskio, qui Arethusam Nasonem induxisse censet, ut ad mutationem narrandam facultatem sibi pararet. Etiam me haec adducere non possunt, ut duos fontes hanc ad narrationem componendam Ovidium esse secutum censeam. Sed ad haec postea redeam.

Nunc accedamus ad ea, quae re vera demonstrare mihi videntur poetam unum eundemque fontem ad fabulam de raptu et reditu ipsam explicandam adhibuisse. Primum in memoriam revocanda sunt, quae collegit Lueneburgius (l. c. p. 77) verba, quibus usus est Ovidius in utraque narratione ita, ut poetam alteram fabulam referentem alteram respexisse appareat:

Met. V 394—395:

Dumque puellari studio calathosque sinumque
Implet, ...

Fast. IV 435—436:

Haec implet lento calathos e vimine nexos
Haec gremium, laxos degravat illa sinus.

Met. V 526:

Verum amor est. Neque erit nobis gener ille pudendi.

Fast. IV 597—598:

Iuppiter hanc lenit, factumque excusat amore.
Nec gener est nobis ille pudendus, ait.

Met. V 53—4536:

Non ita fata sinunt, quoniam ieiunia virgo
Solverat et cultis dum simplex errat in hortis
Puniceum curva decerpserat arbore pomum.

Digitized by Google

Fast. IV 607–608:

Rapta tribus, dixit, solvit ieiunia granis
Punica, quae lento cortice poma tegunt.

Quibus Lueneburgii exemplis hoc adiciam:

Met. V 520–522:

. . . . . Quod rapta, feremus,
Dummodo reddat eam, neque enim praedone marito
Filia digna tua est . . .

Fast. IV 591–592, 594–595:

At neque Persephone digna est praedone marito
Nec gener hoc nobis more parandus erat.
Verum impune ferat, nos haec patiemur inultae.
Reddat . . . .

Praeterea utriusque libri narrationes unam alteri supplemento esse, his apparebit:

In Metamorphosibus verbose describitur locus, quo rapta sit Proserpina (Met. V 385 sqq.), in Fastis breviter (Fast. IV 425 sqq.). Flores, quos collegerit Proserpina, in Metamorphosibus (Met. V 391 sqq.) paucis, in Fastis (Fast. IV 429 sqq.) copiosius enumerantur. Quae verbis multis explicantur de Proserpinae trepidatione in Metamorphosibus (Met. V 396 sqq.), in Fastis (Fast. IV 447 sq.) paucis repetuntur. In Metamorphosibus (Met. V 402 sqq.) accurate Plutonis iter enarratur, in Fastis tantum legimus (IV 449):

Panditur interea Diti via . . . . . .

Loca, quae viserit Ceres, copiose in Fastis (Fast. IV 457 sqq.) enumerat poeta, in Metamorphosibus scribit (V 402 sq.):

Quas dea per terras et quas erraverit undas
Dicere longa mora est; quaerenti defuit orbis.

Quae omnia ut suspicemur efficiunt Ovidium ex eodem fonte utriusque libri descriptionem de raptu et reditu

Digitized by Google

hausisse. Sed plus iam his ex explicationibus efficere audacius esse mihi videtur. Tamen Krassowskius contendit: *Qua de causa nihil nos impedit, quominus unum tantum fontem ab Ovidio adhibitum esse censeamus. . . . Qui autem fons fuerit, nobis ignotum est. Tamen dubitari non potest, quin in numero Alexandrinorum poetarum fuerit.* Quid? Cur in numero Alexandrinorum? De hac re ne unum quidem verbum Krassowskius. Quonam tandem modo omnino poeta fuit? Priusquam haec, quae Krassowskius, contendere possumus, respiciendae sunt, ni fallor, fabulae, quas inseruit Ovidius utrique explicationi, quoniam praetermittere non licet nihil adhuc nos nisi id esse consecutos Ovidium, quomodo Proserpina apud Hennam rapta a matre quaesita sit et quomodo Iuppiter a Cerere auxilio vocatus litem diiudicaverit, in utroque libro similiter parvisque intercedentibus discrepantiis explicare, ut eundem fontem eum esse secutum verisimile sit. Neque vero iam his potest demonstrari certum aliquem poetam fuisse Nasonis fontem; nam sine dubio etiam mythographus quilibet argumentum tale componere potuit. Itaque, si omnes, quae insertae leguntur, fabulas Nasonem aliunde sumpsisse censendum esset, ego poetam aliquem fuisse Ovidii fontem non obtinerem. Qua de causa nunc inquirendum esse puto, quas fabulas aliunde addidisse Ovidium verisimile sit. Haec ut perspicere possimus, primum demonstrare conabor, quibus hae fabulae dissentiant; quod etiam Krassowskio non erat praetermittendum eo magis, quod omnes locos, ubi sibi repugnasset poeta, colligere sibi proposuerat.

In Fastis initio expositionis commemoratur Plutonem Proserpinam eo tempore rapuisse, quo ad Arethusam visendam afuerit mater (Fast. IV 423 sq.):

Frigida caelestum matres Arethusa vocaret.
Venerat ad sacras et dea flava dapes.

Ceres igitur ab Arethusa rediens filiam raptam esse comperit. Sed haec omnino discrepant cum iis. quae in

Digitized by Google

Metamorphosibus legimus, ubi Arethusa est Cereri ignotissima. Ostendunt haec Metamorphoseon versus V 493—505 et in primis v. 573 sq., ubi Arethusa deae se peregrinam esse in Sicilia, ortam in Achaia nuntiat et alia huius modi. Quam discrepantiam hoc modo declarari posse puto: Ovidius in primo fonte legit apud Arethusam Cererem fuisse. Nam ipsum eum haec finxisse ut censeamus, causa non adest. Quae Arethusae mentio eum Metamorphoseon libros componentem commovit, ut mutationem eius narraret; quam quo magis coniungeret cum Proserpinae fabula, non solem, sed nympham raptorem indicasse finxit. Deinde ut suo more fabulam repetens variaret, in Fastis primarii narratione de Cerere apud Arethusam commorante usus est.

Haec consideratio magnam utilitatem nostrae rei affert, quod primum praebet exemplum poetam in Metamorphosibus narrationi de raptu aliunde aliam fabulam inseruisse.

Sed etiam aliam diversitatem Krassowskius non animadvertit: In Fastis (IV 559—560) Ceres Triptolemum muneratur haec locuta:

> Iste quidem mortalis erit et primus arabit
> Et seret et culta praemia tollet humo.

Hoc igitur loco poeta illos sequitur, qui antea agriculturam hominibus ignotam fuisse tradiderunt.

Contra in Metamorphosibus haec legimus (V 474 sq.):

> . . . terras tamen increpat omnes,
> Ingratasque vocat nec frugum munere dignas,
> Trinacriam ante alias . . . . .
> . . . ergo illic saeva vertentia glaebas
> Fregit aratra manu . . . . . .
> . . . . . arvaque iussit
> Fallere depositum vitiataque semina fecit.
> Fertilitas terrae latum vulgata per orbem

Digitized by Google

Lassa iacet: primis segetes moriuntur in herbis.

Hanc Metamorphoseon descriptionem cum Fastorum verbis discrepare nemo non intelleget. Praeterea Krassowskium effugit Triptolemum alium laborem subire in Fastis alium in Metamorphosibus. Nam in Fastis legimus (IV 559 sq.):

Iste quidem mortalis erit et primus arabit etc.

At in Metamorphosibus narrat poeta (V 645 sq.):

Atque levem currum Tritonida misit in urbem
Triptolemo, partimque rudi data semina iussit
Spargere humo, partim post tempora longa recultae.

Etiam his verbis Ovidium sibi ipsi repugnare perspicuum est. Sed quo in libro auctoris vestigia presserit, nunc perquirendum erit. In Fastis Triptolemum primum a dea agriculturae donum accepisse narratur in explicatione errorum Cereris, quae apud Celeum pastorem devertens Triptolemum muneratur, ut gratiam referret pro hospitio, postquam antea a matre »stulte pia« prohibita est, ne immortalem eum redderet. Optime haec omnia cohaerent cum antecedentibus, qua de causa poetam in Fastis non aliunde inseruisse fabulam verisimile est. Aliter in Metamorphosibns, ubi poeta sine dubio ea, quae discrepant cum Fastorum descriptione, narravit, ut causam afferret ad inducendam Arethusam, quam a dea petivisse finxit, ne longius immerito vexaret terram. Arethusae autem fabulam aliunde additam esse supra vidimus; itaque verisimillimum esse apparet etiam haec de agricultura verba in Metamorphosibus aliunde sumpsisse poetam, quod apud Ovidium, quem tanta libertate materiam consilio suo aptasse constat, non est mirabile. Ita iam duobus Metamorphoseon locis fontem eum mutasse invenimus, cum in Fastis eum idem fecisse nullum indicium adsit. Quam ob rem, quoniam raptum et reditum Proserpinae tractantem Nasonem in utroque libro eundem fontem

Digitized by Google

secutum esse demonstravimus, hunc fontem in Fastis multo incorruptiorem nobis servatum esse iam est suspicio. Quae augetur, ubi poetam in Metamorphosibus vel ipsum nonnulla finxisse consideratum erit.

Nam primum memorandum mihi videtur poetam in Metamorphosibus nonnullas res narrare, quas, quorum nobis servati sunt libri, nemo antea tractavit, ita ut poetam ipsum has ad exornandam narrationem invenisse verisimillimum sit. Initio explicationis (Met. V 346 sqq.) quomodo Venus irata, quod nonnullae deae ipsam spreverint, Cupidinem incitaverit narratur, ut Plutonem sagitta missa ad Proserpinae amorem inflammaret. Apud neminem, ni fallor, ante Ovidium eiusmodi fabulam invenimus; et hoc loco facillime suspicari possumus, quidnam poetam moverit, ut haec simularet. Poeta enim Musas totam fabulam de raptu Proserpinae in certamine cum Pieri filiabus celebrantes reddit. Quae Pieri filiae deos Typhoëum fugisse cecinerunt (Met. V 318 sqq.), et ita Musae optime incipiunt narrantes deos Typhoëum non fugisse, sed punivisse Aetna monte imposito, et resurgere conantem Typhoëum saepius terram vehementer percutere. Haec fabula sine dubio poetam commovit, ut hanc explicationem cum narratione de Proserpinae raptu coniungens Plutonem escendentem et ita a Cupidine vulneratum ipse fingeret.

Similiter res se habet cum fabula de Cyane fonte, quam omnes ante Ovidium aliter exposuerunt: Cyanem fontem esse ortum, cum Pluto, ut ad inferos posset redire, terram scidisset.[6]) Quae legens poeta ita novavit (V 409 sq.), ut occasionem haberet mutationis explicandae.

Quibus expositis fides fit sententiae Fastos multo incorruptiorem nobis praebere fontem; itaque ubi in Metamorphosibus discrepantia inveniuntur cum iis, quae in Fastorum descriptione legimus, in Metamorphosibus poetam submutasse vel addidisse aliquid est suspicio.

---

[6]) Diod. V, 4.

Digitized by Google

Huiusmodi diversitatem praebet narratio de Ascalabo, quam Ovidius tractavit in Metamorphosibus (V 446 sqq.) nomine quidem omisso. Iam quod nomen Ascalabi tacet poeta, mirabile esse mihi videtur. Nam ut cum Plaehnio[7]) censeo, ita egit, quod paucis verbis post explicat fabulam de Ascalapho, quae narratio aut similis est[8]) aut, ut contendit Welckerus[9]), eadem atque Ascalabi. Accedit hoc: paucis exponit poeta a versu 438. Cererem, ut etiam noctu filiam quaerere posset, ab Aetna pinus incendisse. Haec errorum descriptio subito interrumpitur fabula Ascalabi male cum antecedentibus coniuncta:

Met. V 446:

Fessa labore sitim collegerat . . . . . .

Et postea ad errorum expositionem reversus in v. 462 pergit poeta:

Quas dea per terras et quas erraverit undas
Dicere longa mora est. . . . . .

In narratione Fastorum, quam ex eodem fonte poetam sumpsisse vidimus, eodem ordine servato exponit poeta taedas deam incendisse; et statim enumerat loca, quae Ceres viserit; sed ante hanc locorum mentionem, quam in Metamorphosibus poeta praeterit verbis „dicere longa mora est", in Fastis nihil de Ascalabo. Quin etiam discrepat haec fabula ab iis, quae inveniuntur in Fastis. Nam in Metamorphosibus (V 449) legimus deam lympham modo postulantem accepisse ab anu „dulce, tosta quod texerat ante polenta". Qua potione, tosta polenta,[10]) certe ieiunia Cererem solvisse obtineam, cum deam papaver modo gustantem ieiunia iam violasse in Fastis poeta dicat. Itaque tota haec de Ascalabo explicatio discrepat cum verbis in Fastorum libro (V 532 sq.):

---

[7]) G. Plaehn, De Nicandro aliisque poetis Graecis ab Ovidio in Metamorphosibus conscribendis adhibitis. Diss. Hal. 1882 p. 30.

[8]) cf. Pauly-Wissowa R. E. II 1607.

[9]) Alte Denkmäler I p. 409.

[10]) cf. quae Hauptius in Met. ed. adnotavit ad v. 450.

Digitized by Google

Dum legit (sc. papaver) oblito fertur gustasse palato
Longamque imprudens exsoluisse famem.

Ovidium igitur Ascalabi fabulam inseruisse apparet, et unde hauserit, suspicari possumus. Nam Nicandri verba de hac eadem re apud Antoninum Liberalem (cap. 24) servata tam similia sunt, tam, ut loquar cum Plaehnio, (l. c. p. 30) ad verbum fere congruunt cum Ovidio, ut dubium esse non possit, quin poeta hoc loco Nicandri vestigia presserit. Ut ipse videas, verba conferam:

Anton. Lib. cap. 24.	Ovidius met. V 444 sqq.
αὕην ὑπὸ πολλοῦ καύματος ὑποδέχεται Μίσμη	Fessa labore sitim collegerat
καὶ διδοῖ ποτὸν ὕδωρ ἐμβαλοῦσα γλήχωνα καὶ ἄλφιτον ἐς αὐτὸ	Prodit anus divamque videt lymphamque roganti dulce dedit, tosta quod texerat ante polenta
καὶ ἡ Δημήτηρ ἐξέπιε . . . ὁ δὲ παῖς ὁ τῆς Μίσμης Ἀσκάλαβος ἰδὼν ἐποιήσατο γέλωτα καὶ αὐτὴς ἐκέλευεν ὀρέγειν αὐτῇ λέβητα βαθὺν ἢ πιθάκνην. Δημήτηρ δὲ κατ᾽ ὀργὴν ὡς εἶχε τὸ ποτὸν αὐτῷ τὸ καταλειπόμενον προσέχεεν	Dum bibit illa datum duri puer oris et audax constitit ante deam risitque avidamque vocavit. Offensa est neque adhuc epota parte loquentem cum liquido mixta perfudit diva polenta
ἐγένετο ποικίλος ἐκ τοῦ σώματος	variis stellatus corpore guttis
καὶ ἔστιν αὐτῷ δίαιτα παρ᾽ ὀχετόν	latebramque petit

Digitized by Google

De Ascalapho certe mirandum est quod in Fastis nihil Naso explicavit sed tantum dixit (IV 605 sq.):

Tartara iussus adit sumptis caducifer alis
Speque redit citius visaque certa refert.

Nam exitum fabulae in utroque libro iisdem fere verbis describens, ut demonstrant versus, quos supra p. 10. 11) contuli, in Metamorphosibus subito alias res profert poeta: De Mercurio ad inferos misso nihil, sed statim narratur Ascalaphum Proserpinae peccatum indicantem ab ea esse mutatum. Quam diversitatem hac ratione declarandam esse puto: Primum fontem de Mercurio egisse verisimile est, quod multo diligentius in Fastis quam in Metamorphosibus poeta secutus est auctorem et quod cur in Fastis Mercurium nuntium aliunde insereret causa non aderat. Sed in Metamorphosibus submutavit, ut Ascalaphi mutationem posset narrare. Qua re aliunde addidit fabulam et secundum libri naturam Mercurii itinere ad inferos omisso solo de Ascalapho egit, ut omnino in Metamorphosibus narratio de raptu et reditu Proserpinae superatur explicationibus de corporibus mutatis.

Item fabulam de Sirenibus in primario fonte non fuisse relatam perspicuum est. Nam ubi poeta eam tractat, totam narrationem interrumpit. At initio narrationis de raptu, ubi occasio data erat, ubi comites Proserpinae in Metamorphosibus paucis, in Fastis copiose enumerantur, in neutro libro vel unum verbum de Sirenibus invenitur. Itaque hanc fabulam eadem de causa, ut Sirenum transitus in alias figuras explicare posset, Ovidium addidisse manifeste apparet.

Restat, ut nonnulla disseram de Triptolemi fabula. Ut iam supra vidimus, poeta in Metamorphosibus eos sequitur, qui nonnullas gentes iam ante Proserpinae raptum agriculturam novisse dicebant. At in Fastis, ubi narratio multo melius cum antecedentibus cohaeret, Triptolemum primum homines hanc artem docuisse legimus. Qua de causa Metamorphoseon explicationem poetam

Digitized by Google

inseruisse puto. Quibus ut haec addam liceat: In Metamorphosibus alius atque in Fastis Triptolemus esse mihi videtur. Iuvenem enim, qui statim regis subire penates audet, non Triptolemum illum esse censeam, quem describit poeta in Fastis (IV 509 sq.) filium senis, qui

. . . . domum glandes excussaque mora rubetis
Portat et arsuris arida ligna focis.

In Metamorphosibus igitur ille Triptolemus celebrari mihi videtur, de quo Apollodorus (bibl. I 31 Wagner) commemorat, filius Celei regis, non, ut in Fastis, pastoris. Hac re fortasse adducti Heinsium secuti nonnulli editores in versu 645 pro in *Tritonida urbem* legunt *in Tritonida arcem.*

Sed haec certe diiudicari non posse fateor. Attamen de diversitatibus supra explicatis dubium esse non potest.

Quibus disputatis, ut breviter colligam, haec me demonstrasse spero: Ovidius de Proserpinae raptu et reditu et in Fastis et in Metamorphosibus verba faciens eodem fonte usus est. At in Metamorphosibus in primis naturam libri respiciens fabulas de mutationibus longius tractavit et saepius, ut materiam consilio suo accomodaret, nonnulla et ipse finxit et aliunde addidit.

Quisnam fuerit hic fons, Krassowskius perpaucis tantum commemorat: *dubitari non potest, quin is in numero Alexandrinorum poetarum fuerit.* Contra Foersterus alium in Metamorphosibus, alium in Fastis esse adhibitum, hoc in libro Callimachum, in illo Nicandrum, contendens his argumentis nititur (l. c. p. 85): Ad demonstrandum Nicandro usum esse poetam Sulmonensem praeter cetera exponit: *Übereinstimmend ist die Hervorhebung der Veilchen im Gegensatz zur attischen Narzisse bei der Anthologie, die Erzählung von der Einkehr im Hause der Misme und der Verwandlung des Ascalabos in eine Eidechse, nur dass Ovid keine Namen nennt.* Quod violas commemoraverit poeta, causa non est, ut Nicandrum fontem habeamus; nam etiam in Fastis, ubi Nicandro poetam non esse

Digitized by Google

usum Foersterus dicit, puellas violas collegisse legimus (Fast. IV 437):

. . . . huic sunt violaria curae.

Narrationem de Ascalabo ex Nicandri carminibus fluxisse ipse non negem, ut supra exposui; at cum hanc fabulam cum explicatione de raptu et reditu adeo non cohaerere, ut eam pro inserta habeamus, demonstratum sit, hoc verborum consensu ego persuadere mihi non possum Nicandrum in tota narratione Metamorphoseon secutum esse poetam, quod Foersterus contendit.

Aliter res se habet cum iis, quae de Callimacho dicit vir doctissimus. Nam simillimam esse Ovidii in Fastis explicationem iis, quae ex Callimachi libris nobis sunt servata, haec verba inter se comparans contendit:

Call. fragm. 511.[11])	Fast. IV 517.
γρῖϊον εἶδος ἔχουσα	simularat anum
Call. fragm. 437.	Fast. IV 547.
ὁ δὴ μήκωνα πατεῖται	Abstinet alma Ceres somnique papavera causas
	Dat tibi cum tepido lacte bibenda, puer
Call. fragm. 539.	Fast. IV 535.
αὔλιος, ὃς δυθμὴν εἶσι μετ᾽ Ἠελίου	Quae quia principio posuit ieiunia noctis
Call. fragm. 513.	Fast. IV 413.
μέσσαβα βοῦς ὑποδύς	A bove succincti cultros removete ministri
Call. fragm. 252[b].	Fast. IV 438.
ἦχι γέγεια ἄνθεα μήκωνός τε	Illa papavereas subsecat ungue comas
Call. fragm. anon. 102.	Fast. IV 435.
μίρσον ἐς ὠτώεντα παλαιφαμένης τ᾽ ἄγνοιο	Haec implet lento calathos e vimine nexos

[11]) cf. Foerster l. c. p. 294 sq.

Digitized by Google

Call. fragm. anon. 8. ἀσταγὲς ὕδωρ	Fast. IV 506. . . . patiens et pluvialis aquae et Fast. IV 427. . . . lucus est aspergiae multa Uvidus ex alto desilientis aquae
Call. fragm. 361. οἳ δὲ Γέλα ποταμοῦ κεφαλῇ ἐπικείμενον ἄστυ	Fast. IV 470. (praeterit) Et te verticibus non adeunde Gela

Quae Foersteri explicatio Ovidium in Fastis Callimachi carmina adhibuisse ostendit. Et quoniam in Metamorphosibus eundem fontem eum secutum esse demonstravi, poetam et in Fastis et in Metamorphosibus Callimachi vestigia pressisse contendere non dubito. Unde vero fabulas, quas insertas in Metamorphosibus vidimus, sumpserit, de hac re nihil diiudicari posse censeo.

Iam vero nobis id agendum est, ut examinemus, utrum etiam aliis locis in utroque libro easdem fabulas aliter tractaverit poeta necne. At ne idem iterum explicetur, quas iam Krassowskius constituit discrepantias, praetermittens de iis modo verba faciam, quas Krassowskium effugisse puto.

Quomodo poeta eandem fabulam interdum consilio suo aptaverit et ita eandem in utroque libro alia ratione adhibuerit, demonstrat narratio de Capitolio servato, quam exposuit in Fastis et in Metamorphosibus (Fast. I 259 sqq. — Met. XIV 775 sqq.), sed varie referens. In Fastis enim Ianus se ipsum, ne in Capitolium inciderent Sabini, prohibuisse narrat (Fast. I 267 sq.):

Ipse meae movi callidus artis opus
Oraque, qua polleńs ope sum, fontana reclusi
Sumque repentinas eiaculatus aquas.

Digitized by Google

Ante tamen madidis subieci sulpura venis,
Clauderet ut Tatio fervidus umor iter.

Quae omnia non Ianum, sed Venerem et nymphas effecisse legimus in Metamorphosibus (XIV 783 sq.):

Sola Venus portae cecidisse repagula sensit
. . . . Iano loco iuncta tenebant
Naides Ausoniae gelido rorantia fonte.
Has rogat auxilium . . . . . .

Cur modo hac modo illa ratione poeta haec tractaverit, luce clarius est: in Fastis primum anni mensem canens in primis Iani virtutes volebat laudare, at in Metamorphosibus Veneris in Romanos clementiam et Iunonis iram describens id spectabat, ut praecipue beneficia Aeneae matris celebrarentur; itaque fabulam, ut traditam acceperat, consilio suo aptans mutavit.

Non tam facile diiudicari potest quaestio, cur Ovidius Priapi fabulam ter explicans ter aliter rettulerit. Nam bis in Fastis hac de fabula verba facit et in eodem opere diversissime. In libro enim primo (Fast. I 392 sqq.) Priapus Lotidis amore captus quomodo inter Bacchi dies festos nympham occupare conatus sit, verbose enarrat poeta. Tamen in eiusdem operis libro sexto (v. 319 sqq.) omnino alia de Priapo legimus: non Bacchi, sed Cybeles festa celebrans Priapus deam vult comprimere; et praeterea, quod gravius esse censeo, non Lotidem, sed Vestam a Priapo amatam fuisse poeta dicit. Quin etiam alia in Metamorphosibus (IX 347 sq.) profert; nam Priapi mentionem faciens iterum Lotida nympham illam fuisse obtinet, immo vero aliquid novi, quod in Fastis neutro loco, quamquam multo longius fabula est tractata, invenitur, addit poeta in Metamorphosibus (IX 347 sq.):

Lotis in hanc (sc. arborem) nymphe fugiens obscena Priapi
Contulerat versas, servato nomine vultus.

Digitized by Google

Quomodo diversitates in Fastorum libro sint ortae, G. Nickius[12]) hac ratione declarat: Poetam primam fabulam de Vesta et Priapo finxisse et in libro primo narrasse contendit; sed Vestae sacra in sexto libro celebrantem Ovidium fabulam ex primo libro in sextum traduxisse, deinde ut lacunam expleret, in primo libro eandem fere fabulam de Lotide et Priapo explicasse. Ipse concedit Nickius: . . . *so bekenne ich freimütig, dass ich dieselbe* (Erklärung) *nur als Hypothese betrachte, die ich aber aufrecht erhalten muss, . . . bis vielleicht durch eine glaublichere die Widersprüche eine bessere Deutung gefunden haben.* Itaque alia ratione rem examinare conabor. Ut inter omnes constat, Ovidius ipse fabulam de Priapo Vestam amante finxit; qua re praecipue cur hoc fecerit quaerendum esse puto. At in primo libro quidnam eum commoverit, equidem intellegere non possum, nam de Vesta illo loco nihil narratur. Poeta narrat Priapo asinum immolari et causam fingit: Priapus nympham dormientem comprimere voluit, sed asellus *rauco ore intempestivos sonos edidit,* et ita nympha expergefacta effugit. Alicuius nymphae nomen Lotidis addit poeta, de qua similia in Metamorphosibus legimus.[13]) Omnia haec sine dubio intellegere possumus; sed cur in primo libro ipsam Vestam induceret? At cur in libro sexto hoc fecerit, perspicuum est: Deae sacra copiose describens narrat pistores Vestalia celebrantes asinos floribus exornare. Secundum libri indolem *τὸ αἴτιον* explorans primi libri narrationis memor fabulamque mutans asinum Vestam servasse ementitur et hanc ob rem deae sacrum esse et a pistoribus ornari. Mihi quidem hoc modo melius declarari videtur, cur poeta de Vesta haec finxerit et quomodo evenerit, ut eandem fabulam in eodem opere bis aliter exposuerit.

---

[12]) G. Nick, Philolog. vol. XXXVI p. 435 sqq. (in Peteri ad Fastos adnotationibus p. 18 errore scriptum est vol. XXXI).

[13]) Fabulae forma, quam in Metamorphosibus legimus, prima esse mihi videtur.

Digitized by Google

II.

De siderum fabulis Ovidianis.

A. De siderum fabulis Fastorum.

Primo in capite non de omnibus fabulis, quas varia ratione Ovidius rettulit, verba feci. Omisi nonnullas, quas cum de corporum in sidera mutationibus agant, in sequentibus examinare constitui, ubi omnino de omnibus narrationibus, quas de siderum origine poeta praebet, disputare mihi proposui.

Sed quod permultis locis Nasonem cum iis consentire apparebit, quae Eratosthenis qui vocantur Catasterismi nobis servaverunt, longius exspatiandum esse puto in disserendo hoc de libro, de quo alii alia ratione disputaverunt, postquam Robertus libri fata hoc modo enarravit[1]):

Eratosthenes librum scripsit, quo et fabulas, quae ad sidera pertinent, ex scriptoribus poetisque conligeret et singulas signorum stellas enumeraret . . . Titulus autem huic libro erat Κατάλογοι *. . . Postea autem Eratosthenis opus in compendium contractum, genuinus ordo Arateo permutatus est; . . . inscribebatur* Καταστερισμοί *. . . Catasterismi progredientibus saeculis sensim concisi sunt atque decurtati, donec in hanc, quam nos tenemus, Epitomen contracti sunt.*

Quam sagacissimam Roberti opinionem vehementer aggressus est Ernestus Maass in opere, quod est inscriptum Analecta Eratosthenica,[2]) ubi dicit (p. 139):

---

[1]) Carolus Robert, Eratosthenis Catasterismorum reliquiae (Berolini 1878). p. 34 sq.

[2]) Philolog. Untersuch. VI 1883.

Digitized by Google

Cum condita quaedam esset fabularum conlectio, quam aegre ferimus et auctore et certo carere tempore, anno c. 100 p. Chr. n. exstitit qui simul cum hac alias de sideribus narrationes et stellarum indices in unum congereret interpres Arateus.

Defendit Robertum, qui ipse sententiam suam postea abiecit,[3]) praeter ceteros Rehmius,[4]) cui iterum oblocuti sunt Maassius[5]) et Thieleus.[6]) Recte de Rehmii opusculo iudicasse mihi videtur Ehwaldius;[7]) nam et Massius et Thieleus mirum in modum silentio fere praetereunt, quod equidem summi momenti esse censeo: Rehmius optime ostendit Robertum rectissime esse suspicatum ex Eratosthenis opere reliquias inesse in libro, quem Epitome appellavit. Inveniuntur enim nonnullis locis verba, quae Catalogorum[8]) ordinem perturbatum esse ut concludas cogunt. Quae afferam:

Epit. cap. XV: *οὗτος* (sc. *ὁ Κηφεύς*) *ἐν τάξει τέταχται τέταρτος.*

Epit. cap. XXIV: *αὕτη* (sc. *ἡ Λύρα*) *ἐνάτη κεῖται ἐν τοῖς ἀστροις.*

Epit. cap. XLII *τὰ δὲ μετὰ ταῦτα γίνεται ἐν τῷ ζωδιακῷ.*

Quibus adnotationibus lucem attulit Eratosthenis libri index, quem edidit Maassius in opere, quod inscribitur Aratea,[9]) ubi leguntur sidera eodem ordine enumerata, quem attingunt Epitomes verba: invenies quarto loco Cepheum, nono Lyram, post Procyonis sidus leguntur

---

[3]) Preller-Robert, Griech. Mythol. I 22,5.

[4])Albert Rehm, Mythographische Untersuchungen über griech. Sternsagen. München 1896 (in sequentibus R. diss. notabo).

[5]) Deutsche Litter. Zeit. 1897, 169 sq.

[6]) Wochenschrift für class. Philol. 1897, 1111 sq.

[7]) Jahresber. üb. d. Fortschr. d. class. Altertumswiss. vol. 109 p. 247. Etiam Franciscus Boll in libro qui inscribitur Sphaera (Leipzig 1903) Rehmio assentitur p. 97 adn. 2.

[8]) Etiam in sequentibus Eratosthenis librum „Catalogos“ nominabo, quamquam alium titulum integrum opus habuisse constat.

[9]) Philol. Untersuch. XII 377.

Digitized by Google

Zodiaci signa. Quod permultum valere mihi videtur; apparet enim primum Eratosthenici operis re vera Epitomen praebere reliquias, deinde recte Robertum coniecisse ordinem Eratosthenicum postea esse perturbatum, ut tamquam mythologicum in Aratum commentariolum fieret opus. Non recte igitur Maassium iudicasse perspicuum est, qui dicit: *Cum condita quaedam esset fabularum conlectio, quam aegre ferimus et auctore et certo carere tempore* . . . . Nam non ignoramus auctorem illius conlectionis, quam interpres mutavit: Eratosthenes fuit, ut index demonstrat. Sed longius est progrediendum. Si quis totum Eratosthenici libri ordinem permutavit, ut in Aratum commentarium haberet, eundem etiam multa ad declarandum Arati opus addidisse luce clarius esse mihi quidem videtur. Itaque verba, quae ad Arati poema spectant, quomodo in Eratosthenis librum inrepserint facillime declaratur, et de Catasterismis hoc est iudicandum: Servatus est libellus de siderum fabulis sub nomine Eratosthenis. Re vera Eratosthenici operis reliquias referre hunc librum scimus. Ordo quidem perturbatus est ab Arati interprete, qui etiam alia, quae Aratum respiciunt, addidit. Qua de causa his additamentis innisus nemo poterit demonstrare totum libellum, quem nos tenemus, omnino non cohaerere cum Eratosthene, sed ea, quae ad Aratum spectant, a reliquis separantes Eratosthenis opus restituere conemur oportebit. Ipse Maassius Eratosthenis reliquias Catasterismis servari iam non negavit, attamen nihil nisi siderum catalogos Eratosthenem scripsisse, Catasterismorum compilatorem eos adhibuisse contendit in auxilium vocans verba codicis Basileensis, quae barbaro sermone bis tradita sunt ita:

Eratosthenis de circa exornatione stellarum et ethymologia de quibus videntur.	Eratosthenes de exornatione et proprietate sermonum quibus videntur.

Digitized by Google

Quae ita Maassius vertit: *Ἐρατοσθένους περὶ κόσμου καὶ ποιότητος τῶν φαινομένων*, Rehmius rectius: *Ἐρατοσθένους περὶ κόσμου καὶ ἐτυμολογίας τῶν φαινομένων*, quem verum vidisse etiam Thieleus concessit; nam Maassium errasse iam inde apparet, quod neminem vel Romanorum linguae imperitissimum pro *ποιότητος* scripsisse *ethymologias* patet; at quomodo ex *ἐτυμολογίας* orta sint verba *proprietate sermonum* facillime cognoscitur: dissolvit scriba imperitus Graecorum *ἐτυμολογίας* et vertit *ἔτυμος* = *proprietas*, et pro *λογία* scripsit *sermonum*.

Itaque si quis opinione non praeiudicata codicis verba contemplatur, non solum stellarum indices, sed etiam fabulas siderum Eratosthenem composuisse iam ex titulo apparere non negabit, nam duae operis partes dilucide discernuntur: „de circa exornatione" et „de ethymologia quibus videntur".

Quibus omnibus Catasterismos Catalogorum reliquias praebere recte Robertum esse suspicatum persuasum habeo. Ex eodem autem fonte, ex quo fluxerunt Catasterismorum narrationes, quas legimus in Epitome, fabulas quamquam variis rivulis derivatas hausisse etiam interpretem Arateum, Germanici scholiastas,[10]) Hyginum accuratissime demonstravit Robertus. Itaque quoniam Epitomen servare Eratosthenis reliquias index ostendit, etiam quattuor illos scriptores ab Eratosthene fabulas repetivisse consentaneum est.

Praeterea Rehmius[11]) publici iuris fecit fragmenta codicis vat. gr. 1087 (= T), quem demonstravit ex eodem fonte esse haustum atque Aratus Latinus qui vocatur.[12]) Quorum

[10]) Scholia Germ. BP etiam scholia Basileensia, scholia Germ. G etiam Sangermanensia vocabo secundum Breysigium et Robertum.

[11]) Albertus Rehm, Eratosthenis Catasterismorum fragmenta Vaticana. Progr. d. k. hum. Gymn. Ansbach 1899. (R. pr. notabo). Laudavit hunc libellum Wieckius, Berl. Philol. Wochenschr. 1900 p. 865 sq.

[12]) Edidit Ernestus Maass, Commentariorum in Aratum reliquiae, Berolini 1898 (Comm. in Ar. notabo).

Digitized by Google

communem fontem siglo *z* notans ostendensque[13]) scholiastam Germ. BP et Hyginum eodem esse usos exemplari, non, ut putaverat Robertus (l. c. p. 11), ipsis Catasterismis, sed iam intercessisse librum, quem vocavit *y*, singulas recensiones hoc modo e Catasterismis fluxisse docuit:



Ad diiudicandum, quidnam re vera in Catasterismis exstiterit, quanti sit haec Rehmii dissertatio, apparet; nam recte iam monuit Moellerus[14]): *Versionem* (sc. Arati Latini) *codicis instar habeo, neque dubito omnia, quibus libros adhuc notos superat et cum Hygini astronomia Germanicique scholiis consentit, genuina veraque agnoscere et in ampliorem Catast. librum reducere.*

At revertendum est ad Ovidium. Quem ipsius Eratosthenis opus inspexisse conatus est demonstrare Rehmius, qui Nasonem saepius Eratosthenem secutum complura commemorare, quae in Catasterismis non exstent, ostendens poetam librum integriorem, ipsius Eratosthenis opus, adhibuisse censet. Sed quoniam agitur de Ovidio, quem eandem materiam tractantem saepissime compluribus fontibus usum esse nemo ignorat, an Rehmio assentiar dubitans aliam viam persequi decrevi. Primum enim opus erit ostendere re vera Ovidii narrationes cohaerere cum iis, quas Eratostheni possumus attribuere; deinde accuratius investigandum esse puto num poeta in fabulis, quas secundum Eratosthenem rettulit, res narraverit, quas, quam-

---

[13]) Rehm pr. p. XXIII sq.

[14]) Ioannes Moeller, Studia Maniliana. Diss. Marpurgi 1901 p. 45.

Digitized by Google

quam in Catasterismis leguntur, in ipsius Eratosthenis opere non exstitisse demonstrari potest. Quibus examinatis multo certius decernere poterimus, utrum integrum an immutatum librum Ovidius adhibuerit.

Perpaucis Rehmius prima de quaestione disputavit (R. diss. p. 24). Ovidii narrationes cohaerere cum Eratosthenis iam Robertum animadvertisse commemorat et adicit nonnulla poetae verba, quibus similibus sunt usi, qui Eratosthenis librum exscripserunt:

Fast. II 181: Ursa per incultos errabat squalida montes.	Schol. Bas. p. 52 Rob.: Quae dum in montibus vagaretur.
II 170 sq.: Quae septem dici, sex tamen esse solent, Seu quod in amplexum sex hinc venere deorum etc.	Epit. p. 134 Rob.: *Οὐχ ὁρῶνται δὲ αἱ ἑπτά, ἀλλ' αἱ ἓξ ... τὰς μὲν γὰρ ἓξ φασι θεοῖς μιγῆναι κτλ.*
V 536: Perdidit antiquum littera prima sonum.	Hyg. Astr. p. 167 Rob.: Sed vetustate et consuetudine factum est, ut Orion vocaretur.
VI 736: Et geminas nexo porrigit angue manus (sc. anguitenens).	Epit. p. 68 Rob.: *Ἔχων ἐν ἀμφοτέραις χερσὶν ὄφιν.*

Quo tam levi verborum consensu cum nihil posse demonstrari moneat Thieleus, alia subsidia circumspicienda sunt. Accuratissime contemplatus Ovidii et Catasterismorum narrationes saepissime Nasonem, ubi Catasterismos complures eiusdem fabulae formas tradidisse probabile est, has aut enumerasse aut contaminasse animadverti ita, ut id casu accidisse credi non possit.

De ursa maiore Eratosthenes, ut ostendunt Epitome c. I, scholiasta Arateus, Germanici interpretes, Hyginus[15]),

[15]) Locos invenies collatos in Roberti editionis p. 50 sq.

Digitized by Google

Aratus Latinus (Comm. in Ar. p. 181) fabulam secundum Hesiodum hoc modo exposuit: Callisto, Lycaonis filiam, Dianae sociam, Iuppiter compressit. Quod cum cognovisset Diana, irata Callisto in ursam mutavit, quae Arcada peperit. Sed cum ursa in silvis vagaretur, a quibusdam pastoribus capta ad Lycaonem ducta est, ubi cum filio in templum se contulit, quod nefas erat intrare. Itaque cum utrumque Arcades vellent interficere, Iuppiter in sidera mutavit. Cui Hesiodi fabulae omnes praeter epitomatorem et scholiastam Arateum addunt, quomodo tractaverit rem Amphis comicus ita, ut etiam haec Eratosthenem commmoerasse recte coniecisse mihi videatur Robertus: Secundum Amphidem comicum Iuppiter Dianae effigiem simulans Callisto compressit, quae a dea rogata, quidnam accidisset, ipsi deae culpam attribuit.

Duas igitur eiusdem fabulae formas narravit Eratosthenes, utramque legimus apud Ovidium (Fast. II 153 sqq.).

Sidus ursae maioris qui hoc nomine appellabant, sequentem stellam vocabant Arctophylacem, quod Arctum custodire videretur. At alii sidus, quod etiam nos nominamus ursam maiorem, non ursam, sed plaustrum esse existimabant; qua re sequentem stellam Booten, bubulcum, vocabant. Alteram opinionem exposuisse Eratosthenem tradunt Epitome c. VIII, Arati scholiasta, Germanici explicatores, Hyginus (p. 74 sq. Rob.), cod. T (R. pr. p. 2), Aratus Latinus (Comm. in Ar. p. 197). Alteram quoque Catasterismis esse relatam ostendit Robertus (l. c. p. 4.). Utramque sententiam commemorat Ovidius (Fast. III 405):

Sive est Arctophylax sive est piger ille Bootes.

De equi in sidus mutatione alios narrasse eum equum esse transformatum, qui in Helicone monte ungula saxum feriens fontem effecisset, alios Pegasum hoc in sidus esse mutatum putasse tradunt omnes illi auctores,

Digitized by Google

qui secundum Catasterismos fabulas exposuerunt (Epit. c. XVIII p. 120 Rob., R. pr. p. 4).[16]) Contaminavit poeta ita (Fast. III 405 sq.):

. . . Gorgonei colla videbis equi.
Huic supra nubes et subter sidera lapso
Caelum pro terra, pro pede pinna fuit.
Iamque indignanti nova frena receperat ore,
Cum levis Aonias ungula fodit aquas.
Nunc fruitur caelo . . . . . .

De corona Epitome in cap. V. haec servat: *Οὗτος* (sc. *ὁ στέφανος*) *λέγεται ὁ τῆς Ἀριάδνης. Διόνυσος δὲ αὐτὸν εἰς τὰ ἄστρα ἔθηκεν ᾧ πρώτῳ ἡ νύμφη ἐστεφανώσατο παρὰ Ὡρῶν λαβοῦσα καὶ Ἀφροδίτης, ὅτε τοὺς γάμους οἱ θεοὶ ἐν τῇ καλουμένῃ Λίᾳ ἐποίησαν.*

Ἥφαίστου δὲ ἔργον εἶναί φασιν κτλ.

Ovidius in Fastis haec hoc modo contaminavit[17]) (III 514):

Vulcanus Veneri quam dedit, illa tibi.

De tauri sidere alios narrasse eum taurum esse mutatum, qui Europam in insulam Cretam transtulisset, alios eam vaccam, qua Ionem amatam occuluisset Iuppiter, exponunt Epitome c. XIV, schol. Germ. G, Hyginus (p. 107 sq. Rob.), codex T (R. pr. p. 4), Aratus Latinus (Comm. in Ar. p. 211). Idem commemoravit poeta (Fast. IV 717 sq.):

Vacca sit an taurus, non est cognoscere promptum.
Seu tamen est taurus, sive est hoc femina signum,
Iunone invita munus amoris habet.

Et repetivit Fast. V 617 sq.:

Taurus init caelum . . . . . .
Hoc alii signum Phariam dixere in invencam,
Quae bos ex homine est, ex bove facta dea.

---

16) Aratus Latinus (Comm. in Ar. p. 218) errore pro *κρίνην* crinem scripsit.

17) cf. etiam Haupt opusc. II 71. R. diss. p. 35.

Digitized by Google

Vel iisdem fere verbis usus est poeta in libro quarto, quibus schol. Germ. BP 74,20 et Hyginus Astr. II 21 Catasterismos verterunt:

Fast. IV 718:

Pars prior apparet, posteriora latent.

Schol. Germ.: *Priores partes parent* —

Hyg.: *Quod prior pars appareat.*

Hyadas secundum Pherecydem Liberi nutrices haberi narrant omnes, qui Catasterismos exscripserunt, Epitome (c. XIV p. 106 Rob.), codex T (R. pr. p. 4), Aratus Latinus (Comm. in Ar. p. 212). Etiam Musaei versionem Eratosthenem tractasse ex scholiis Arateis, scholiis Germ. BP, Hygino recte coniecit Robertus (l. c. p. 12). Eodem modo breviter attingit utramque fabulae formam poeta (Fast. V 167 sq.):

Pars Bacchum nutrisse putat, pars credidit esse
Tethyos has neptes Oceanique senis.

De aquario epitomator in cap. XXVI scribit: *Οὗτος δοκεῖ κεκλῆσθαι ἀπὸ τῆς πράξεως Ὑδροχόος. ἔχων γὰρ ἔστηκεν οἰνοχόην καὶ ἔκχυσιν πολλὴν ποιεῖται ὑγροῦ — ἡ γιγνομένη ἔκχυσις εἰκάζεται τῷ νέκταρι, ὃ καὶ ὑπὸ τῶν θεῶν πίνεται.*

Idem fere servant scholiasta Arateus, Germanici interpretes, Hyginus (p. 144 sq. Rob.), Aratus Latinus (Comm. in Ar. p. 235). Ovidius haec explicat (Fast. II 145 sq.):

Iam puer Idaeus media tenus eminet alvo
Et liquidas mixto nectare fundit aquas.

Orionem, Neptuni ex Euryale filium, propter inanem ostentationem persecutum esse scorpionem, quem terra misisset, secundum Hesiodum explicant omnes illi Catasterismorum expilatores (p. 162 sq. Rob., Comm. in Ar. p. 247) praeter codicem T. Praeterea Aristomachum narrasse Orionem ex urina deorum esse ortum uterque Germanici scholiasta et Hyginus tradunt ex Eratosthene, ut demonstravit Robertus (p. 12 sq.)

Digitized by Google

Utramque fabulae formam poeta contaminavit (Fast. V 531 sq.):

. . . . . omnes ad terga iuvenci
Constiterant — pudor est ulteriora loqui.
Tum superiniecta texere madentia terra,
Iamque decem menses, et puer ortus erat. . . .
Ille (sc. Orion) deae custos, ille satelles erat.
Verba movent iras non circumspecta deorum.
Quam nequeam, dixit, vincere, nulla fera est.
Scorpion immisit tellus. . . . . .

Praetermittere quidem non possum Catasterismos nonnullis locis varia ratione de eadem fabula mentionem facere, Ovidium tamen unam modo formam praebere. Sed haec momenti esse nego, quod cur poeta id fecerit, facile declarari potest.

Nam cum poeta de Delphini in stellam transformatione (Fast. II 79 sqq.) Eratosthenis narrationem (Epit. c. XXXI, p. 158 sq. Rob.; cod. T, R. pr. p. 11; Ar. Lat., Comm. in Ar. p. 244) perpaucis modo attingens aliunde alteram fabulae formam sumpserit, mirari non possum, quod tertiam formam, quam secundum Aglaosthenem exposuisse Eratosthenem suspicatus est Robertus (l. c. p. 8), neglexit Naso, praecipue quoniam de Tyrrhenis nautis aliam narrationem praebuit in Metamorphosibus (III 577 sqq.).

Etiam tertiam de equi mutatione fabulam quam ex Catasterismis Epitome, Germanici interpretes, Hyginus (Epit. c. XVIII, p. 120 sq. Rob.), codex T (R. pr. p. 4), Aratus Latinus (Comm. in Ar. p. 219) servant, Ocyrrhoen in stellam esse transfiguratam, omittit poeta, quod Ocyrrhoes fortunam omnino aliter in Metamorphosibus (II 633 sqq.) tractavit.

Praetermittit etiam, quae de corona addunt Epitome, scholiastae Germanici (Epit. c. V, p. 68 sq. Rob. *Φασὶ καὶ τὸν πλόκαμον ταύτης εἶναι τὸν φαινόμενον ἐπὶ τῆς κέρκου τοῦ*

Digitized by Google

Λέοντος), codex T (R. pr. p. 1), Aratus Latinus (Comm. in Ar. p. 193): et quod huius fabulae formas non enumeravit sed contaminavit, ut supra vidimus, et quod non ipsam Ariadnen, sed eius coronam tantum inter astra esse constitutam narravit in utroque opere (Fast. III 459 sq. — Met. VIII 175 sq.).

Etiam de cratere, cur in stellam sit mutatus, verba faciens poeta, quamquam eadem narrat, quae ex Catasterismis tradiderunt omnes expilatores (Epit. c. XLI, p. 188 sq. Rob.; cod. T, R. pr. p. 15; Ar. Lat., Comm. in Ar. p. 267), tamen alterius fabulae mentionem omittit, quam ex Catasterismis cepisse Hyginum Robertus contendit (l. c. p. 4). Sed equidem valde dubito, num Eratosthenem hoc loco secutus sit Hyginus, qui dicit Astr. II, 40: *Nonnulli cum Eratosthene cum cratera esse, quo Icarus sit usus, cum hominibus ostenderet vinum.*

Nam Icari fabulae, quam refert Hyginus, quaenam partes ex Eratosthene sint haustae, optime exposuit Maassius.[18]) Addidit vir doctissimus alios testes, qui integram nobis hanc narrationem servaverunt. Qui omnes quod ne uno quidem verbo commemorant neque de cratere, quo usus Icarus hominibus vinum dederit, neque craterem a deo in stellam esse mutatum, sine dubio aliquid habet offensionis. Accedit, quod ipse Hyginus ubi explicat fabulam copiosissime (Astr. II 4), nihil commemorat de cratere. Compluribus quidem libri locis nonnullas huius fabulae partes repetit, II 25 de virgine: *Nonnulli eam Erigonen, Icari filiam dixerunt, de qua supra diximus;* II 35 de cane: *Alii autem Icari canem esse dixerunt, de quo ante diximus.* Quae omnia consentiunt cum iis, quae II 4 narravit, sed de cratere nihil antea.

Itaque cum de cratere verba eum ex Catasterismis sumpsisse, ut pro certo habeam, a me impetrare non possim,

---

[18]) Anal. Eratosth. p. 60 sqq.

Digitized by Google

quod Ovidius hac de fabulae forma nihil commemoraverit, me non potest offendere.

De canis quidem sidere non est dubium, quin varias narrationes praebuerint Catasterismi; Ovidius autem unam tantum fabulam explicavit. Sed tam paucis verbis poeta canis sidus commemorat (Fast. IV 939 sq.):

Est canis, Icarium dicunt, quo sidere moto
Tosta sitit tellus, praecipiturque seges

et V 723:

Nocte sequente diem canis Erigoneïus exit.
Est alio signi reddita causa loco[19]),

ut utrum Ovidius his locis Catasterismos an alium librum inspexerit, nemo possit discernere.

Quibus disputatis tam multis locis poetam eadem ratione qua Eratosthenem complures eiusdem fabulae formas attigisse vidimus, ut haec non fortuito accidisse, sed re vera Ovidium Eratosthenis opus respicere non facile quis negaverit.

Sed haec hactenus. Nunc de altera quaestione est disputandum, utrum Naso ipsius Eratosthenis Catalogos an Catasterismos inspexerit. Catalogos poetam esse secutum Rehmius affirmat (diss. p. 24 sq.); tamen non recte eum iudicasse puto, quod nonnullis locis, ubi secundum Eratosthenem tractat fabulas, poeta res narrat, quas, quamquam in Catasterismis sunt tractatae, tamen in Catalogis non exstitisse probabile est. Quibus in perquirendis optime nos adiuvant ea quae scripsit Alessandro Olivieri,[20]) qui stellarum indicibus comparatis cum fabulis, quae antecedunt, accuratissime est perscrutatus, quae narrationis partes quamquam in Catasterismis exstant tamen ex Catalogis non fluxerint. Sufficient nonnulla exempla ad demonstrandum Rehmii errorem.

---

[19]) Neque tamen alio loco poetam fabulam tractasse monet Rehmius.

[20]) Studi Italiani di Filologia classica V 1897 p. 1 sqq.

Digitized by Google

De equi catasterismo verba faciens in capite XVIII epitomator commemorat: *Ἄρατος μὲν οὖν φησὶ τὸν ἐπὶ τοῦ Ἑλικῶνος εἶναι ποιήσαντα κρήνην τῇ ὁπλῇ κτλ. — ἄλλοι δὲ τὸν Πήγασον εἶναί φασι τὸν εἰς ἄστρα ἀναπτάντα ὕστερον τῆς Βελλεροφόντου πτώσεως.* Quae sequuntur verba *διὰ τὸ μὴ ἔχειν κτλ.* satis recenti tempore esse addita, praesertim cum nemo testium ea tradidisset, recte censuit Robertus (l. c. p. 120 adn.). At non modo haec esse inserta, sed etiam totam de Pegaso fabulam non in Catalogis fuisse tractatam apparebit, si perlegerimus stellarum indicem, in quo de equi alis omnino nihil commemoratur. Tamen eum, qui addidit fabulam, Pegasum pennatum cognovisse consentaneum est:

Epit: *Πήγασον εἶναί φασι τὸν εἰς τὰ ἄστρα ἀναπτάντα.*

Idem codex T (R. pr. p. 4).

Schol. Germ. BP (p. 120 sq. Rob.): *alii hunc Pegasum dicunt ad astra evolasse.*

Schol. Germ. G (p. 120 sq. Rob.): *nonnulli vero Pegasum putant, qui ad astra evolavit.*

Hyginus (p. 120 sq. Rob.): *equus autem subvolasse existimatur.*

Aratus Latinus (Comm. in Ar. p. 219): *Alii vero aiunt Pegasum esse, qui ad astra evolavit.*

aiunt Pegasum esse, qui ad astra evolavit.

Etiam Ovidius dicit (Fast. III 457):

Nunc fruitur caelo, quem pennis ante petebat.

Nec quicquam de equi alis in indice. Eratosthenem ita peccasse nemo sibi poterit persuadere; itaque totam de Pegaso narrationem esse adiectam apparet. At Ovidius utramque fabulae formam contaminans eodem modo rem profert; unde eum non Eratosthenis ipsius librum inspexisse probabile est, sed recensionem additamentis auctam, qualis est Catasterismorum.

Aliud eiusdem rei argumentum praebent verba de ursa maiore et de Arctophylace. Alios alterum sidus non ursam sed plaustrum, alterum non Arctophylacem sed

Digitized by Google

Booten nominasse iam supra (p. 30) vidimus. Sed etiam hanc narrationem de Icaro et Erigona a Catalogis alienam esse censeamus oportet conlata hac fabula cum iis, quae in indice stellarum hoc de sidere explicantur in Epitomes cap. I et VIII,[21]) ubi nec de plaustro nec de Boote quicquam commemorari facile intelleges. Respicit index nihil nisi fabulas de ursa maiore et de Arctophylace; inserta igitur est etiam de Icaro et Erigone fabula. Tamen Ovidius utramque tractat (Fast. III 405):

Sive est Arctophylax, sive est piger ille Bootes.

Itaque usus est poeta iam aucto Eratosthenis opere, non Catalogis, sed Catasterismis.

Rehmius falso, ut demonstrare conatus sum, iudicans Ovidium integrum Eratosthenis librum adhibuisse coniecit nonnullos Catalogorum locos minorem stellarum numerum tradidisse quam, qui exscripserunt Catasterismos, servaverunt. Quibus facile declarari posse putavit duas inter poetam et Catasterismos discrepantias. Naso enim dicit (Fast. III 458) de equo:

Et nitidus stellis quinque decemque micat

et Fast. V 414 de centauro:

Bis septem stellis corpora cinctus eras.

At Catasterismi (Epit. XVIII p. 122 sq. Rob.) equi sideri duodeviginti, centauro (Epit. XL p. 186 sq. Rob. Comm. in Ar. p. 266.) viginti quattuor stellas attribuunt. Sed quoniam Ovidium Catalogos esse secutum negavi, non hoc modo discrepantias declarari posse fateor. Neque tamen has fabulas de equo et de centauro, quod alios numeros refert Naso, eum aliunde sumpsisse censeam, nam certa ratione nec quos numeros Catalogi exhibuerunt nec quos Catasterismi assequi possumus, quoniam ipsi scriptores, qui ex Catasterismis indices servaverunt, saepissime his de numeris inter se dissentiunt ita, ut in aliis Catasterismorum exemplis aliter hanc rem fuisse ex-

[21]) Alii idem fere servant; cf. Robertum p. 54 et 80 sq. Comm. in Ar. p. 218 sq. (cod. T omittit).

Digitized by Google

peditam existimemus oporteat. Quae ut ipse possis cognoscere, illos locos componam:

Catasterismorum caput:	sidus	Roberti editionis pag.	Stellarum numerus: Epit.	schol. Arat.	schol. Germ. BP	schol. Germ. G.	Hyg.	Aratus Latinus	Maassii Comm. in Ar. rel. pag.
I	Ursa maior	54 sq.	23	24	23	—	22	19	182
XV	Cepheus	114 sq.	19	—	17	19	19	19	214
XVI	Cassiope	116 sq.	14	—	14	12	14	14	216
XXI	Pisces	128 sq.	39	—	39	41	41	41	225
XXVII	Capricornus	150 sq.	24	—	24	26	24	26	238
XXXIII	Canis	170 sq.	20	—	20	20	19	20	253
XXXVI	Cetus	176 sq.	13	—	13	14	13	13	258
XL	Centaurus (et Bestia)	186 sq.	34	—	38	33	34	33	266

Sed progrediendum est in quaestione, quasnam fabulas ex Catasterismis hauserit poeta. Nunc contendere non dubito eas inde Ovidium sumpsisse, quarum easdem formas, quas Catasterismi praebebant, eum aut enumerasse aut suo more contaminasse supra vidimus:

Fabulas de Ursa maiore (Fast. II 153 sqq. — Catast. I),

de Arctophylace seu Boota (Fast. III 405 sqq. — Catast. VIII),

de Equo (Fast. V 455 sqq. — Catast. XVIII),

de Corona (Fast. III 459 sqq. — Catast. V),

de Tauro (Fast. IV, 717 sqq. V 617 sqq. — Catast. XIV),

de Aquario (Fast. II 145 sqq. — Catast. XXVI),

de Orione Fast. V 493 sqq. — Catast. XXXII),

de Hyadibus (Fast. V 167 sqq. — Catast. XIV),

de Pliadibus, quae fabula cohaeret cum narratione de Hyadibus (Fast. IV 169 sqq. — Catast. XXIII).

Sed cum quidnam his de Hyadum et Pliadum

Digitized by Google

fabulis explicaverit Eratosthenes, hac de quaestione inter se dissentiant viri docti, accuratius disputandum esse puto.

Perpauca Epitome de hac re servavit in cap. XIV, perpauca codex T (R. pr. p. 4) et Aratus Latinus (Comm. in Ar. p. 212); at scholiasta Germanici BP et Hyginus (p. 106 sq. Rob.)[22]) copiosius narrant fabulam secundum Pherecyden hac fere ratione: Secundum Pherecydem Hyades sunt Liberi nutrices septem, quae antea Dodonides nymphae appellabantur. — Enumerantur nomina. — Quae ne a Lycurgo caperentur timentes Thebas fugerunt. Deinde, ne a Iunone quid paterentur, Iuppiter in stellas eas mutavit. Praeterea interpres Arateus breviter eadem attingit ita, ut etiam si aliud argumentum non exstaret, ad Catasterismos referre liceret. At Hyginus omittit, quae in scholiis Germanici BP et apud interpretem Arateum legimus: *Ἡ δὲ προσωνυμία ἐστίν, ὅτι τὸν Διόνυσον ἀνεθρέψαντο. Ὑης δὲ ὁ Διόνυσος* (schol. Arat.). Et, ut recte monuit Rehmius (R. diss. p. 10), quae scholiasta Arateus et interpres Germanici BP servaverunt, ea non in Catasterismis exstitisse sed ex scholiis Arateis in Basileensia fluxisse suspicio est. Attamen etiam hanc fabulae partem ex Catasterismis esse haustam puto, quod hoc loco Germanici interpretem scholia Aratea adhibuisse non est probabile; nam multo obscurius rem attingit Germanici scholiasta: *Hyadas appellavit* (sc. Iuppiter), *quod nascente Libero eas invenerit.* Praetermittit igitur Liberum etiam *Ὑην* esse nominatum, quod ex scholiis Arateis, si hoc loco inspexisset, sine dubio addidisset; attamen cum etiam ex scholiastae Germanici verbis appareat Pherecydem stellas appellari Hyadas dixisse, quod Liberum sive *Ὑην*

[22]) Hyginus et schol. Germ. BP ex communi fonte, alio atque quem secuti sunt reliqui, Catasterismos servaverunt, ut Rehmium demonstrasse supra monui. Itaque quod reliqui fabulam perpaucis tantum attingunt, Hyginus et scholiasta copiosius narrant mirandum non est.

Digitized by Google

nutrivissent, quominus etiam hanc fabulae partem ad Catasterismos referamus, nihil impedire mihi videtur. Sequitur apud Hyginum fabula secundum Musaeum, quam quod eodem fere modo scholia Aratea et Basileensia exponunt, in Catasterismis esse tractatam verisimile est. Dicit enim scholiasta Germ. BP: *Musaeus ita refert: Aethra ex Oceano procreavit filias duodecim. Ex quibus quinque stellis figuratas Hyadas, septem autem Pliadas. His unus fuit frater Hyas, quem omnes sorores dilexere. Quem alii ab leone, alii ab apro interfectum dicunt. Quae flentes eum obierunt, Hyadas nuncupatas, alias Pliadas.*

Similia scripsit scholiasta Arateus. Quorum cum descriptionibus dissentit quidem Hyginus exponens Oceano quindecim filias fuisse, quarum quinque Hyadem fratrem lugentes interisse et Hyadas appellari. Quibus explicatis addit: *Reliquas autem decem sorores deliberasse de sororum morte et earum septem mortem sibi conscisse; qua re quod plures idem senserint; Pliadas dictas.*

Tamen hae discrepantiae, ut Musaei versionem in Catasterismis non exstitisse censeamus, efficere non possunt, quoniam optime Robertus de iis haec iudicavit:[23]) *In illo igitur exemplo* (sc. quo utebatur Hyginus) *ΙΒ numerus in ΙΕ correptus erat. Quare ille traditam narrationem ita immutare statuit, ut aliquas saltem partes tres illae puellae librarii errore Atlanti donatae haberent; et cum auctorem Graecum Πληϊάδας a πλείους derivare vidisset, hoc ita in usum suum convertit, ut scriberet quare quod plures idem senserint . . . . Pliadas dictas.* —

Septem Pliadum cur sex tantum videantur stellae, primam causam afferunt Epitome, scholia Basileensia, Hyginus (Epit. c. XXIII, p. 134 sq. Rob.), Meropen non videri, quod sorores immortalibus, ipsa homini Sisypho

[23]) cf. quae Robertus antea exposuit p. 12 sq.

Digitized by Google

nupserit. Scholia Sangermanensia brevissime rem attingentes discrepant a reliquis, quod Meropen non cum Sisypho concubuisse sed *nuptam a quodam viro nominatam esse Hippodamiam* dicunt. Errore scholiastae haec esse scripta iam suspicatus est Robertus.[24]) At in iisdem scholiis alteram causam legimus: *Quam quidam fabulose gentilium prae timore Orionis fugisse putant.*

Etiam haec ex Catasterismis fluxisse demonstrare conatus Robertus ex Hygino et ex scholiis Arateis attulit fabulam de Pleione, quam cum filiabus Orionem fugientem a Iove inter astra esse collocatam illi narrant. At recte Rehmius (diss. p. 15) demonstravit has scholiastae Aratei et Hygini explicationes alienas esse ab Eratosthene; nam scholia Sangermanensia non dicunt Pleionen, sed Electram fugisse Orionem, causam igitur afferunt cur sex tantum videantur stellae, non, ut Arati interpres et Hyginus, cur Orion fugientes Pliadas ad occasum sequi videatur. At Rehmium, quamquam primus hoc recte perspexit, tamen ad Catasterismos hanc de Electra et Orione fabulam retulisse miror, neque ei possum assentiri, quoniam si recte iudicavit, ab uno hoc Germanici scholiasta fabula commemoratur. Sed unus hic interpres omnino non potest demonstrare narrationem, quam reliqui non servaverunt, in Catasterismis exstitisse. Avienus quidem eadem tractat,[25]) neque vero eum, qui Sminthem haec descripsisse addit, hoc loco Catasterismos esse secutum contendere possumus.

Aliam quoque causam, cur obscura sit septima Pliadum stella, addunt scholia Aratea, Sangermanensia, Hyginus, qui omnes simili ratione exponunt Electram Troia capta dolore permotam a ceteris se removisse, crines dissolvisse, propterea Cometen appellari.[26])

---

[24]) cf. quae adnotavit in ed. p. 134.

[25]) Avien. v. 582 sq.

[26]) Omittit haec Arati scholiasta.

Digitized by Google

Sed adhuc praetermisi scholia Aratea et Basileensia (p. 108 sq. Rob.) de Hyadibus alias fabulae formas servasse: Hyadas nomen accepisse a Graecorum verbo ὗειν alios putare, alios quia in modum *Y* litterae essent positae; secundum Myrtilum Hyadas quinque filias Cadmi esse. Quae in scholiis Arateis et Basileensibus tantum legimus, non ex Catasterismis sed aliunde esse hausta suspicio est, ut iam supra commemoravi. Itaque Myrtili fabulam ut Catasterismis attribuamus causa non est. At duas alias narrationes ex Catasterismis fluxisse censeo, quod exstant etiam in scholiis *A* ad Il. Σ 486, quae fragmenta ex Eratosthenis opere praebere iam suspicatus est Robertus (l. c. p. 13), cuius opinionem defendit Rehmius (R. diss. p. 14). Sed cum oblocutus sit Thieleus, etiam hac de re pauca disseram. Sunt enim scholiorum verba haec:[27])

Ὑάδες αἱ ἐπὶ τῶν κεράτων τοῦ Ταύρου ξ' ἀστέρες κείμενοι. καλοῦνται δὲ Ὑάδες ἤτοι διὰ τὴν πρὸς τὸ Υ στοιχεῖον ὁμοιότητα, ἢ ἐπειδὴ αἴτιαι ὄμβρων καὶ ὑετῶν καθίστανται.

Ζεὺς ἐκ τοῦ μηροῦ γεννηθέντα Διόνυσον ταῖς Δωδωνίσι νύμφαις τρέφειν ἔδωκεν . . . . . (sequntur nomina). *αὗται θρέψασαι τὸν Διόνυσον περιῆσαν σὺν αὐτῷ τὴν εὑρεθεῖσαν ἄμπελον ὑπὸ τοῦ θεοῦ τοῖς ἀνθρώποις χαριζόμεναι. Λυκοῦργος δὲ μέχρι τῆς θαλάσσης συνεδίωξε τὸν Διόνυσον. ἐκείνας δὲ ὁ Ζεὺς ἐλεήσας κατηστέρισεν. ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδει. τὰς μὲν κατηστερισμένας ἐν τῷ μετώπῳ τοῦ Ταύρου Ὑάδας φασὶν εἰρῆσθαι, τὰς δὲ ἐπὶ τῆς ἡμιτόμου πλευρᾶς Πληϊάδας καλεῖσθαι. Ἄτλαντος γὰρ τοῦ Ἰαπετοῦ καὶ Αἰθρας τῆς Ὠκεανοῦ, καθά φησι Μουσαῖος,[28]) θυγατέρες δώδεκα καὶ υἱὸς Ὗας. τοῦτον ἐν Λιβύῃ κυνηγοῦντα ὄφις κτείνει. καὶ αἱ μὲν ε' τὸν ἀδελφὸν θρηνοῦσαι ἀπόλλυνται διὰ λύπην,*

---

[27]) Schol. in Hom. Il. ed. Dindorf tom. I p. 168 sq. Robertus l. c. p. 42.

[28]) sec. Robertum; Dindorfius scribit *Τίμαιος*.

Digitized by Google

ἃς[29]) δι᾽ οἶκτον καταστερίσας ὁ Ζεὺς Ὑάδας ἐπωνόμασεν ἐπωνυμίᾳ τοῦ ἀδελφοῦ. αἱ δέ ξ βραδέως μὲν πλείους δὲ ἀποθανοῦσαι[30]) Πληϊάδες εἴρηνται. Φερεκύδης δὲ, καθὰ προείρηται, τὰς Ὑάδας Ἰωδωνίδας νύμφας φησὶν εἶναι καὶ Διονύσου τροφούς, ἃς παρακαταθέσθαι τὸν Διόνυσον Ἰνοῖ διὰ τὸν Ἥρας φόβον, καθ᾽ ὃν καιρὸν αὐτὰς καὶ Λυκοῦργος ἐδίωξεν. τῶν δὲ Πληϊάδων οὐσῶν ἑπτὰ πάνυ ἀμαυρὸς ὁ ἕβδομος ἀστήρ ἐστιν. ὡς μὲν Ἄρατος ἐν τῷ πρὸς Θεόπροπον ἐπικηδείῳ φησὶν Τροίας πορθουμένης τὴν Δαρδάνου μητέρα Ἠλέκτραν μίαν οὖσαν τῶν Πληϊάδων φυγεῖν τε τὴν τῶν ἀδελφῶν σύνοδον καὶ τὰς κόμας λύσασαν ἐνίοτε κομήτην ἀστέρα φαίνεσθαι. φησὶ δὲ καὶ Ἑλλανίκος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀτλαντικῶν τὰς μὲν ζ θεοῖς συνελθεῖν. Ταϋγέτην Διὶ, ὧν γενέσθαι Λακεδαίμονα, Μαῖαν Διὶ, ἀφ᾽ ὧν Ἑρμῆς, Ἠλέκτραν Διὶ, ἧς Δάρδανος, Ἀλκυόνην Ποσειδῶνι, ἧς Ὑριεὺς, Στερόπην Ἄρει, ἧς Οἰνόμαος. Κελαινὼ Ποσειδῶνι καὶ αὐτὴν συγγενέσθαι, ἧς Λύκος, Μερόπην δὲ Σισύφῳ θνητῷ ὄντι, ἧς Γλαῦκος. διὸ καὶ ἀμαυρὰν εἶναι.

His in scholiis omnia eodem modo, quo in Catasterismis, narrari neminem effugiet. Turbatus quidem est ordo, quem optime restituisse mihi videtur Rehmius (diss. p. 16). Vidit enim verba *Φερεκύδης δὲ, καθά προείρηται κτλ.* ponenda esse post verbum *χαριζόμεναι;* errore esse inserta *Λυκοῦργος δὲ μέχρι τῆς θαλάσσης συνεδίωξε τὸν Διόνυσον.* Recte Rehmium emendasse negat quidem Thieleus, qui dicit: *Die scheinbare Unordnung des ganzen Scholions aber ist nicht auf Versehn der Abschreiber, sondern auf Compilation der verschiedenen Versionen und ἱστορίαι zurückzuführen.* Tamen hanc scholiorum partem non modo perturbatum videri, sed re vera confusam esse censeo; nam

---

[29]) sic Robertus secutus Wilamowitzium; Dind. legit: *τὰς δὲ λοιπὰς δι᾽οἶκτον καταστερίσας Ζεὺς . . .*

[30]) haec scribit Robertus sec. Wilamowitzium; Dind. legit: *πλὴν ἀποθανοῦσαι . . .*

Digitized by Google

quamquam scholiasta varias formas composuit, consulto eum capitis initio Pherecydis versionem terminasse verbis ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδει, paulo post idem repetentem addidisse Φερεκύδης δέ φησιν nemo sibi persuadeat. Accedit quod sensu caret prima capitis pars, nisi inserimus, quae postea secundum Pherecydem leguntur. Nam ex sententia Λυκοῦργος δὲ μέχρι τῆς θαλάσσης συνεδίωξε τὸν Διόννσον. ἐκείνας δὲ ὁ Ζεὺς ἐλεήσας κατηστέρισεν intellegere non possumus, qua de causa Iuppiter illas inter sidera collocaverit. At ubi Rehmium secuti hoc loco iniecerimus, quae postea tractantur: ἃς (sc. Ὑάδας) παρακαταθέσθαι τὸν Διόνυσον Ἰνοῖ διὰ τὸν Ἥρας φόβον, καθ' ὃν καιρὸν αὐτὰς καὶ Λυκοῦργος ἐδίωξεν statim sensus erit restitutus: Iuppiter mutavit Hyadas, ne a Lycurgo caperentur.

Quibus disputatis hanc scholiorum partem eadem ratione omnia praebere videmus, quae in Catasterismis esse tractata supra demonstrare conatus sum; itaque quominus haec ex eodem fonte, quo Catasterismi, fluxisse censeamas, nihil impedit. Thieleus quidem omnia ex scholiis Arateis, quae etiam scholia Iliadis adhibuerint, derivata censet in primis nisus argumento, quod ipse Rehmius paravit. Nam verba Λυκοῦργος δὲ μέχρι τῆς θαλάσσης συνεδίωξεν τὸν Διόνυσον, quae postea irrepsisse Rehmius ostendit, etiam apud Hyginum vel eodem loco legi ipse existimans scribit (diss. p. 16 adn. 2): *ein Zusammentreffen, das mir keine andre Erklärung zuzulassen scheint, als dass dem Hygin unser Scholion vorgelegen habe, nur in etwas reicherer Fassung.* Quae res si ita se haberet, recte iudicasse Thieleum concederem. At et Rehmius et Thieleus erraverunt; nam quae Hyginus hoc loco servavit, omnino aliena sunt ab iis, quae in scholia ad Iliadem irrepsisse cognovimus. Scholiasta enim tradit: Λυκοῦργος δὲ μέχρι τῆς θαλάσσης συνεδίωξεν τὸν Διόννσον; at Hyginus dicit (Astr. II 21): *Hae* (sc. Hyades) *dicuntur a Lycurgo fugatae et praeter Ambrosiam omnes ad Thetin profugisse, ut ait Asclepiades.*

Digitized by Google

Hyginus igitur non narrat, quae verba scholiis addita: Lycurgum Liberum esse persecutum, sed vel eadem dicit, quae scholiasta eodem loco secundum Pherecydem servavit, alius postea delevit, ut supra ostendimus: *καθ' ὃν καιρὸν αὐτὰς καὶ Λυκοῦργος ἐδίωξεν.*

Inseruit quidem Hyginus, qui saepissime Catasterismos exscribens aliunde alia addere solet, Asclepiadis verba Hyadas omnes praeter unam ad Thetin profugisse, statim autem perrexit: *Sed ut ait Pherecydes ad Thebas.* — Qua de causa Hyginum scholia ad Iliadem hoc loco adhibuisse ut censeamus causa non adest; ordinem non permutatum legit et ipse et scholiasta Iliadis, ut Rehmius coniecit, eodem igitur fonte usi sunt. Et quoniam Hyginum hoc loco Catasterismos secutum esse ex iis apparet, quae reliqui Catasterismorum expilatores servaverunt, etiam Iliadis scholiastam Eratosthenis opus adhibuisse censeamus oportet; nisi fortasse non Catasterismos, sed quoniam accuratius rem tractat, Catalogos inspexit, quorum narrationes in Catasterismis repetitae sunt.

Hac in disputatione longius ab Ovidio discedere opus erat ad demonstrandum duas illas fabulae formas — alios Hyadas nomen accepisse a Graecorum verbo *ὗειν* putare, alios ab *Y* littera — in Catasterismis fuisse tractatas. Nam si recte demonstravimus scholia ad Iliadem Eratosthenici operis fragmentum praebere, etiam duas illas fabulas quamquam scholia Aratea et Basileensia tantum tradunt, ad Eratosthenem possumus referre, quod in scholiis ad Iliadem sunt servatae.

Quibus comprobatis haec in Catasterismis fuisse explicata verisimile est:[31]) Secundum Pherecydem Hyades septem sunt Liberi nutrices. Quae a Lycurgo fugatae Liberum Inoni tradiderunt; postea ne caperentur, Iuppiter

---

[31]) Breviter ea tantum enumero, quae ad nostram rem spectant. De reliquis cf. Robertum p. 106 sq.

Digitized by Google

inter astra collocavit. — Secundum Musaeum Atlas ex Aethra, Oceani filia,[32]) procreavit filias duodecim, quarum quinque Hyades, septem Pliades appellabantur. Quarum frater fuit Hyas; quo in venatione interfecto sorores in stellas sunt mutatae. — Pliadum stellarum (Epit. c. XXIII, p. 134 sq. Rob.) una est obscura, quam in stellam mutata est Electra; non micat, ut alii dicunt quod Sisypho nupserat, ut alii quod Troia capta dolore permota a ceteris se removit. — Hyades (Epit. c. XIV, p. 106 sq. Rob.) alii etiam nomen accepisse a verbo ὕειν alii a littera *Y* putant.

Quibus cum narrationibus conferamus, quae Ovidius de Hyadibus exposuit (Fast. V 165 sq.):

Ora micant Tauri septem radentia flammis,
Navita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.
Pars Bacchum nutrisse putat, pars credidit esse
Tethyos has neptes Oceanique senis.

Sequitur fabula de Hya fratre, quo interfecto sorores in sidera sint transformatae.

Videmus igitur omnia Ovidium tractare, quae in Catasterismis exstitisse demonstravimus, una excepta forma Hyadas ab *Y* littera nomen accepisse. Legimus apud poetam fabulam secundum Pherecydem (v. 167), secundum Musaeum (v. 168), secundum alios, qui a verbo ὕειν Hyadas derivabant (v. 166).

De Pliadibus invenimus (Fast. IV 169 sq.):

Pleiades incipient umeros relevare paternos,
Quae septem dici, sex tamen esse solent,
Seu quod in amplexum sex hinc venere deorum,
Nam Steropen Marti concubuisse ferunt,
Neptuno Alcyonen et te, formosa Celaeno,
Maiam et Electram Taygetenque Iovi,

---

32) De errore scholiorum Germ. BP cf. Robertum p. 110.

Digitized by Google

Septima mortali Merope tibi, Sisyphe, nupsit,
Paenitet, et facti sola pudore latet,
Sive quod Electra Troiae spectare ruinas
Non tulit ante oculos opposuitque manum.

Eadem igitur omnia exposuit poeta, quae Catasterismi, eadem enumerat nomina et deorum et Pliadum, duas tantum causas, cur sit obscura septima stella, profert, easdem, quas solas in Catasterismis exstitisse ostendimus. Quibus omnibus Ovidium etiam has fabulas componentem Catasterismos adhibuisse apparet.

Praeterea de capellae sidere fabulam explicantem Nasonem (Fast. V 111 sqq.) Catasterismos esse secutum censeo. Ex Eratosthenis libro narrationem servaverunt Epitome, scholia Basileensia, Hyginus (Epit. c. XIII p. 100 sq. Rob.). Olivieri (l. c. p. 8) his in expilatorum narrationibus tres varias eiusdem fabulae formas esse occultas contendit; nam in prima capitis parte describi capram communem putat, in altera capram nobilem, Solis filiam, in tertia iterum capram communem; praeterea tertiam partem cum antecedentibus dissentire, quod alia de causa atque qua in prioribus capra esse transformata diceretur.

Quibus equidem assentiri non possum; nam in prima narrationis parte capram communem cognoscit vir doctissimus nulla alia de causa, nisi quod Hyginus addit Amaltheam possedisse capram quandam *ut in deliciis*. Sed primum Hyginum hoc loco aliena inseruisse consentaneum est,[33]) deinde haec Hygini verba discrepant cum iis, quae reliqui testes praebent, qui dicunt non capram communem sed Solis filiam Iovem nutrivisse:

Epit.: *τὴν δὲ* (sc. *αἶγα*) *ἐνθρέψαι Δία. τὴν δὲ αἶγα εἶναι Ἡλίου θυγατέρα.*

Quibus apparet unam tantum capram epitomatorem cognovisse. Idem scripsit scholiasta Germ. BP:

---

[33]) cf. quae adnotavit Robertus l. c. p. 103.

Digitized by Google

Haec (sc. Amalthea) *fuit domina caprae, quae ex ea Iovem nutrivit. Esse autem hanc capellam Solis filiam.*

Etiam capram, cuius pellem contra Titanas pugnans rex deorum accepit, eandem fuisse probabile est; legimus enim in Epitome: *τὴν αἶγα εἶναι Ἡλίου θυγατέρα φοβερὰν οὕτως, ὥστε τοὺς κατὰ Κρόνον θεοὺς βδελυττομένους τὴν μορφὴν τῆς αἰγὸς ἀξιῶσαι τὴν Γῆν κρύψαι αὐτὴν κτλ.* Deinde: *θεσπισθῆναι αὐτῷ τῆς αἰγὸς τῇ δορᾷ ὅπλῳ χρήσασθαι διά τε τὸ ἄτρωτον αὐτῆς καὶ φοβερόν.*

Epitomator igitur hanc eandem capram, Solis filiam, esse dicit. Idem narrant scholia Basileensia et Hyginus ita, ut tres varias fabulae formas esse contaminatas cur censeamus intellegere non possim; nam optime hoc modo fabulam intellegere possumus: Amalthea possedit capram, Solis filiam, quae Iovem nutrivit. Contra Titanas pugnans caprae pelle est usus Iuppiter. Quibus de causis inter astra capram collocavit. Eratosthenem ipsum haec tractasse ipse nego cum Olivierio, quod quamquam hoc in capite agitur de caprae et haedorum sideribus, cur haedi sint in caelum translati, non commemoratur. Sed in Catasterismis fabulam hac ratione fuisse tractatam verisimile est. Quibus confirmantur etiam, quae supra sumus suspicati, Ovidium non Catalogos inspexisse, sed Catasterismos. Nam poeta simili ratione fabulam explicans etiam Iovem contra Titanas pugnasse dicit, ut demonstrant versus V 125:

Ille ubi res caeli tenuit solioque paterno
Sedit, et invicto nil Iove maius erat,
Sidera nutricem . . . . . .
Fecit. . . . . .

Nam his verbis contra Titanas Iovis pugnam attingi nemo negabit. Inseruit quidem poeta fabulam de caprae cornu, quam unde hauserit nescimus.

De corvo-angue-cratere fabulam explicat Naso II, 243 sqq. eadem fere narrans, quae ex Catasterismis

Digitized by Google

tradiderunt Epitome, scholia Basileensia (Epit. c. XLI, p. 188 sq. Rob.), codex T (R. pr. p. 15), Aratus Latinus (Comm. in Ar. p. 267), ita ut etiam hoc loco poetam Catasterismos esse secutum verisimile sit. Rehmius quod in versibus 259 sq.:

Hic mihi causa morae, vivarum obsessor aquarum;
Hic tenuit fontes officiumque meum

Ovidius idem praebet, quod scholia Aratea, hoc in Catalogis exstitisse suspicatur (diss. p. 29 sq.). Sed primum hoc loco scholia Aratea perturbata sunt, deinde reliquis locis poetam non Catalogos sed Catasterismos adhibuisse vidimus.

De aquilae sidere perpauca dicit poeta (V 732):

Grata Iovi fulvae rostra videbis avis.

Utrum Catasterismos, qui plura exhibent, an alium librum adhibuerit, in tam brevi mentione cognoscere non possumus.

Idem dico de Delphini sidere, cuius fabulam tractantem (Fast. II 79 sqq.) poetam alium fontem secutum esse apparet. Qua re quod scribit Naso (II 81):

Seu fuit occultis felix in amoribus index

sufficere non posse censeo, ut Rehmio adsentiamur dicenti (diss. p. 32): *Benützung der Catasterismen unzweifelhaft.*

De ariete (Fast. III 853 sqq.) et de Geminis (Fast. V 697 sqq.) aliter Ovidius, aliter Catasterismi fabulas exposuerunt.

De ampelo (Fast. III 407 sqq.) et de miluo (Fast. III 793 sqq.) quae narrat poeta, in Catasterismis omnino non leguntur.[34])

---

[34]) De piscibus, de centauro, de anguitenente in sequenti capite disputabo.

Digitized by Google

B. De siderum fabulis et in Fastis et in Metamorphosibus relatis.

Iam accedamus ad examinandas fabulas, quas et in Fastis et in Metamorphosibus tractavit Ovidius. Quarum primam contemplemur de Callistus mutatione (Fast. II 153 sqq. — Met. II 409 sqq.), quam quibus ex fontibus sumpserit poeta, in medio reliquit Rehmius dicens (diss. p. 28): *Ob Ovid diesen* (sc. Callimachum) *selbst benutzt hat, . . . lasse ich dahingestellt.* Quibus verbis Rehmius iis respondit, quae contendit Franzius in dissertatione, quae inscribitur *De Callistus fabula*,[1]) ubi fabulam quomodo Callimachus narraverit restituere conatus confert (p. 284), quae leguntur in schol. Ven. A ad Il. XVIII 487, apud Pausaniam VIII 3, 6, in Apollodori bibliotheca III, 100 (Wagner), apud Libanium or. p. 1101.[2]) De quibus haec disseruit: *In duo genera discedunt, quae eo distinguuntur, ut in altero Iuno aemulam ipsa dicatur convertisse, in altero Iuppiter uxorem ut furtum suum celaret, convertendo praevenisse, sed ceteris omnibus inter se concinunt. Nec vero binarum narrationum alteram ex altera manasse, sed utramque propriam habere auctoritatem et ex communi fluxisse fonte eo evincitur, quod in utroque genere altera nonnihil habet, quo altera careat.*

Quibus nimium contendisse Franzius mihi videtur; nam *utramque propriam habere auctoritatem* equidem concedo, neque vero *ex communi fluxisse fonte* omnes his esse demonstratum puto, cum *quibus concinunt* perpauca esse censeam. Sed ut ipse cernas, quae quattuor in his narrationibus eadem ratione sint explicata, sub unum conspectum subiciam:

---

[1]) Leipziger Studien XII, 1890.
[2]) Eustathium omitto.

Digitized by Google

Schol. Ven. A ad Il. XVIII 487	Pausan. VIII 3, 6	Apollod. Bibl. III 100	Liban. p. 1101.
Ζεὺς Καλλιστοῦς τῆς Λυκάονος ἐρασθεὶς ἐμίσγειο αὐτῇ λαθάνων Ἥραν. ἐπιγνοῦσα δὲ ἡ θεὸς μετέβαλεν αὐτὴν εἰς ἄρκτον καὶ ὡς θηρίον Ἀρτέμιδι προσετάξατο τοξεῦσα. Ζεὺς δὲ εἰς οὐρανὸν αὐτὴν ἀναγαγὼν πρώτην καιμστέρισεν. ἡ ἱστορία παρὰ Καλλιμάχῳ	Ταύτῃ τῇ Καλλιστοῖ λέγω δὲ τὰ λεγόμενα ὑπὸ Ἑλλήνων, συνεγένετο ἐρασθεὶς Ζεύς. Ἥρα δέ, ὡς ἐφώρασεν, ἐποίησεν ἄρκτον τὴν Καλλιστώ, Ἄρτεμις δὲ ἐς χάριν τῆς Ἥρας κατετόξευσεν αὐτήν. καὶ ὁ Ζεὺς Ἑρμῆν πέμπει σῶσαι τὸν παῖδα οἱ προστάξας, ὃν ἐν τῇ γαστρὶ εἶχεν ἡ Καλλιστώ. Καλλιστὼ δὲ αὐτὴν ἐποίησεν ἀστέρας, καλουμένην Ἄρκτον μεγάλην.	Αὕτη σύνθηρος Ἀρτέμιδος οὖσα τὴν αὐτὴν ἐκείνῃ στολὴν φοροῦσα, ὤμοσεν αὐτοῦ μεῖναι πάρθενον. Ζεὺς δὲ ἐρασθεὶς ἀκούσῃ συνεναίρεται (εἰκασθείς, ὡς μὲν ἔνιοι λέγουσιν Ἀρτέμιδι, ὡς δὲ ἔνιοι Ἀπόλλωνι). βουλόμενος δὲ Ἥραν λαθεῖν εἰς ἄρκτον μεταμόρφωσεν αὐτήν. Ἥρα δὲ ἔπεισεν Ἄρτεμιν ὡς ἄγριον θηρίον τοξεῦσαι. ἀπολομένης δὲ Καλλιστοῦς Ζεὺς τὸ βρέφος ἁρπάσας ἐν Ἀρκαδίᾳ δίδωσιν ἀναθρέψειν Μαίᾳ, προσαγορεύσας Ἀρκάδα. τὴν δὲ Καλλιστὼ καταστερίσας ἐκάλεσεν Ἄρκτον.	Τὴν Ἥραν ὁ Ζεὺς ἐλύπει Καλλιστοῦς ἐρῶν καὶ ποιεῖ τὴν ἐρωμένην ἄρκτον τοῦ τὴν Ἥραν λαθεῖν. ὡς δὲ αὐτὴν ἔχοι πλήσιον μεταδίδωσι τοῦ οὐρανοῦ. καὶ ἔστι Καλλιστὼ τῶν ἀρκτώων ἀστέρων. ἀπὸ δὲ ταύτης παῖς Ἀρκάς, ὅθεν Ἀρκάδες. οἱ τεχθέντος Ἑρμῆ τῆς σωτηρίας ἐμέλησε.

Digitized by Google

Quibus collatis quam paucas fabulae partes quattuor hi scriptores eodem modo protulerint, statim intelleges. Nam re vera nihil nisi haec omnes pari modo praebent: Iuppiter Callisto compressit, postea in stellam mutavit, quae ursa maior appellatur. Quae cum ita a Callimacho esse narrata scholia ad Iliadem ostendant, ceteros hac in parte fabulae eandem formam, quam tractavit Callimachus, servare apparet. Neque vero haec tam parva inter eos et Callimachum congruentia causam nobis potest praebere, ni fallor, ut ex his tam diversis narrationibus nonnulla excerpentes Callimachi fabulam restituamus. Franzius quidem praeterquam quod a scholiasta et Pausania Iovem, ab Apollodoro et Libanio Iunonem Callisto mutasse proferatur, ceteris omnibus inter se concinere contendit. Attamen apud Pausaniam Mercurium, apud Apollodorum Iovem filium ex matris utero eripuisse legimus. Vel *eiusdem generis* narrationes, quas seiungit Franzius, inter se discrepant: Libanius Mercurium Apollodorus Maiam puerum educasse tradunt. Itaque cum diversissima praebeant quattuor hae narrationes, ex iis quomodo Callimachus fabulam exposuerit restitui posse equidem despero. Nam aliorum quoque vestigia apud hos scriptores inveniri ipse Franzius concedit; quare quae ex aliis, quae ex Callimacho sint haustae diiudicare non possumus. Ut exemplum afferam: Ex eodem fonte, qui Iovem ipsum transformasse Callisto nuntiabat, Apollodorus sumere potuit etiam additamentum Callisto se virginitatem servaturam iurasse. Tamen hoc Franzius Callimacho tribuit, illud abnegat.

Itaque in restituenda Callimachi fabula cautius progrediendum mihi videtur. Libanium et Apollodorum praetermittendos censeo, quod etiam alios fontes adhibuerunt ita, ut quid ex Callimacho, quid aliunde ceperint demonstrare non possimus; etiam Hyginus, de quo eadem ratione disputat Franzius (l. c. p. 287 sq.), omittendus est, quod complures fontes adhibuit, quos non possumus dis-

Digitized by Google

tinguere. Contra ut etiam Pausaniam hoc loco aliorum vestigia pressisse putemus, causa non adest. Immo vero quae Callimachum scripsisse testatur scholiasta, plane congruunt cum Pausaniae narratione. Scholiasta quidem, quomodo filius sit servatus, non commemorat; sed cur haec omiserit, cum de Homeri ἄρκτον modo verba facere vellet, apertum est. Itaque de Arcade fabulam, quam profert Pausanias, Callimacho assignare possumus. Sed ut supra comprobare sum conatus, quae praeterea exposuerit Callimachus, non licet dispicere.

Quibus longius disputatis revertamur ad inquirendum, quibus fontibus usus sit Ovidius. In utriusque libri narratione Eratosthenem eum adhibuisse demonstratur cum iis, quae Franzius contulit (l. c. p. 322), tum quod etiam huius fabulae duas formas, quas secundum Hesiodum et Amphidem comicum praebent Catasterismi (Epit. c. I p. 50 Rob.; Aratus Latinus, Comm. in Ar. p. 181), contaminavit. Comparantibus nobis Ovidii descriptionem cum Eratosthene, his alterum ab altero discrepare apparet:[3])

---

[3]) Quae huc contuli, ab iis, quae Franzius scripsit, his differunt:

I. Rehmius mihi persuasit Eratosthenem Callistus iusiurandum narrasse (diss. p. 28 sq.).

II. Quae in Met. inveniuntur in versu 485:

Mens antiqua tamen facta remansit in ursa

in Fastis non attingi contendit Franzius non recte, ut mihi quidem videtur; nam in Fast. v. 177 poeta dicit:

Laesa furit Iuno, formam mutatque puellae

Vel Catasterismos haec indicasse puto; nam cum scribant ursam ignorasse Arcades, ne quis Iovis simulacrum intraret, vetuisse, ursam hominis habuisse mentem significare mihi videntur.

Digitized by Google

Quae apud Ovidium leguntur	Met.	Fast.	Quae apud Erat.
Iupp. virginem invitam compressit.	434	—	—
Diana procul secedere Call. iussit	464	173	—
Call. priusquam ursa est facta peperit.	468	175	Ursa Call. peperit.
Iuno eam mutavit.	471	177	Diana eam efferavit.
Pristina mens remanet.	485	177	—
Iupp., ne Arcas matrem interficeret, utrumque in stellam mutavit.	496 sq.	181 sq.	Iupp. mutavit, ne ab Arcadibus interficerentur.
Tethys et Oceanus a maris aquis utrumque prohibent; quod Iuno ab iis petiverat.	508 sq.	191 sq.	—

Haec, quibus dissentit poeta ab Eratosthene, Nasonem ex Callimacho sumpsisse non puto. Nam Iunonem mutasse Callisto, Dianam interfecisse Callimachus finxit, ut testatur scholiasta; nihil hac de re apud Ovidium. Iunonem efferasse aemulam poeta quidem exposuit; neque vero — quod infra mihi erit demonstrandum — ut de Iunone posset commemorare, sed quod ab Eratosthene declinans coactus est aliam deam, non Dianam Callisto fingere mutantem. Praeterea Callimachum de filii salute verba fecisse verisimile est; etiam haec tacet Ovidius. Ipse scribit Franzius: *Qua* (sc. forma, quam praebet Eratosthenes) *dempta simul nos fraudavit primae Arcadis sortis notitia, cum iam frustra quaeramus, quis matre in ursam conversa inopis infantis curam susceperit.* Sed Ovidium poetam, quem praecipue in Metamorphoseon libris verbose fabulas exposuisse constat, Callimachum inspicientem hanc de Arcade narrationem praetermisisse, cum vel bis eandem materiam tractaret, incredibile esse mihi videtur. Fraudavit quidem lectorem de Arcadis sorte poeta; sed cur hoc fecerit, luce est clarius: non habuit, quomodo lacunam expleret.

Digitized by Google

Eratosthenes omnino aliter rem tractat; nam Arcada ab ursa natum apud matrem remanentem eum finxisse iam inde apparet, quod puerum cum matre captum ad Lycaonem venisse dixit. Sed Eratosthenis fabulam hoc loco praetermisit poeta, quod eam iam antea quamquam alia forma explicaverat (Met. I 163 sqq.). Quae recte observasse Franzium cum concedam, etiam Ovidium fabulam Lycaonis cum Callistus coniunctam in Catasterismis legisse Franzio assentiar oportet. At quoniam Franzium errasse Rehmius contendit (diss. p. 39 sq.), hac de quaestione pauca disseram.

Franzius (l. c. p. 306 sq.) tres de ursa maiore, minore, Arctophylace narrationes cohaerentes apud Eratosthenem epitomatores demum seiunxisse censet. At Rehmius vitiose haec Franzium conclusisse ex catalogo demonstrat, quem edidit Maassius.[4]) Recte mihi videtur iudicasse Rehmius non epitomatores demum Eratosthenis descriptiones dissolvisse; sed nihil amplius. Nam Eratosthenem coniunctas non tradidisse has fabulas Rehmii verbis ostendi non potest, quod sine dubio Eratosthenes fabulas et cohaerentes proferre potuit et deinde sepositas repetere. Exemplum praebet fabula de Orione, quam explicavit et scorpionis sideris originem declarans (Epit. c. VII p. 72 Rob.) et ipsius Orionis (Epit. c. XXXII p. 162 Rob.). Facillime autem fieri potuit, ut posteriores, ne idem iterum narrarent, expositiones de Arctophylace hoc loco omitterent; nam eos, qui exscripserunt Catasterismos, re vera, ne idem repeterent, cavisse iam inde cognoscitur, quod epitomator et Arati scholiasta hic Callisto solam in sidus esse translatam tradiderunt, alii vero Callisto cum filio esse mutatam. Atque res ipsa, ut cohaerentes narrasse Eratosthenem has fabulas putemus, cogere nos videtur. Nam contra Franzium qui contendit: *quae de Lycaonis facinore circumferebantur Callistus res nullo modo attingere*

[4]) Aratea p. 377 sq.

Digitized by Google

Lycaonis fabulam necessariam esse puto ad intellegendam totam narrationem, quemadmodum Eratosthenes quidem composuit. Nam si inspexeris ex Catasterismis excerpta (Epit. c. I p. 50 sq. Rob.; Ar. Lat., Comm. in Ar. p. 181 sq.), in omnibus leges Arcada puerum, cum mater esset capta, simul cum ea deductum esse ad Lycaonem. Quibus, ut iam supra commemoravi, quoniam praeterea ursam Callisto peperisse puerum Eratosthenes dixit, Arcada primum apud matrem remansisse apparet. At eo magis miremur oportet, quod subito Arcas, qui matrem ursam non ignorat, eam persequitur. Itaque aliquid deesse neminem effugiet. Desiderantur verba, quibus quomodo acciderit, ut matrem ignoraret Arcas, exponatur. Lycaonis fabula haec optime illustrantur: Lycaonis facinore puer necatur, a Iove ad vitam reducitur, deinde — quod diserte profertur — cuidam pastori ad educandum datur, abit igitur ex matris oculis. Quibus qua ratione evenerit, ut puer inscius matrem insectaretur, dilucide describitur. Qua re Eratosthenem coniunctas narrasse fabulas censeo, quas non ipsum ita composuisse, sed ex Hesiodo quae adscribitur astronomia hausisse Rehmius mihi persuasit (diss. p. 36 sq.).

Ad cognoscendum, cur declinaverit Ovidius ab Eratosthene, haec Catasterismorum narratio accuratius examinanda erat. Nam si poeta non coniunctas legisset fabulas, cur non eadem ratione, qua qui exscripserunt Catasterismos, simpliciter exposuisset descriptionem? Sed quod Lycaonis fabulam cum Callistus cohaerentem invenit, quoniam de Lycaone iam antea verba fecerat, hanc omittens ipse, ut nonnulla et mutaret et adderet, est commotus; et quod Lycaonis fabula, cur ignoraret matrem Arcas, declaravit, primum ad haec exponenda alia narratio Nasoni erat fingenda: Callisto nondum transformatam filium peperisse tradit. Quae cum, ut mutationem in idoneum tempus differret, efficerent, non Dianam, sed aliam deam Callisto efferasse poetae erat scribendum, quod Latonia

Digitized by Google

iam ante partum comitem gravidam spectans puniverat. Idcirco Iunonem arcessivit aliunde,[5]) ut mihi quidem videtur, ex mythographo. Nam si poetam atque eum Callimachum inspexisset, narrationem non commutasset tanta levitate, qua ipsum Ovidium haec omnia finxisse apparet: Iuno poenam in idoneum tempus differt, tamen furit, ubi natus est Arcas, quamquam ipsa, ne hoc fieret, impedire potuit (Met. II 471 sq.):

Scilicet hoc etiam restabat, adultera, dixit,
Ut fecunda fores, fieretque iniuria partu
Nota, Iovisque mei testamentum dedecus esset!

Alium poetam ita peccavisse non minus incredibile est, quam Nasonem, si poetam esset secutus, eius narratione neglecta tam male ipsum haec omnia fuisse ficturum. Itaque a mythographo Iunonis mentionem poetam sumpsisse censeo, ab eodem fortasse, qui, ne in mare intingerentur sidera, prohiberi commemoravit. Franzius quidem etiam hanc narrationem Ovidium a poeta, vel a Romano, accepisse contendit, sed iam Ehwaldius[6]) et Rehmius (diss. p. 28) hoc fieri non posse demonstraverunt. Mihi Naso ipse hanc rem iam antiquissimis poetis non ignotam[7]) ita exornasse videtur.

In eiusdem Metamorphoseon libri versibus 633 sq. paucis poeta attingit fatum Aesculapii et Chironis, quos in stellas esse transformatos in Fastis (V 379 sqq. VI 735 sqq.) explicatur. Quas Fastorum narrationes componentem Ovidium Eratosthenem esse secutum manifestum est. Rehmius quamquam idem animadvertit (diss. p. 30),

[5]) Nulla nisi hac ratione, cur poeta ita rem rettulerit, declarari posse puto. Franzius (p. 323) Iunonem invectam effecisse contendit, ut in idoneum tempus differret dea poenam. At sine dubio Callisto a Diana eiectam statim Iuno potuit mutare. Itaque equidem, ut filius ignarus matrem posset persequi, poetam post partum demum Callisto esse transformatam scripsisse puto.

[6]) Jahresb. über d. Fortschritte der class. Altert.-Wiss. vol. LXXX p. 40.

[7]) cf. Il. XVIII 489.

Digitized by Google

tamen paulum haesitat existimans poetam peccasse, quod Chironem ipsum sagitta fatali se vulnerasse Ovidius dixit, cum Herculi Catasterismos culpam attribuisse putet. Quam opinionem Rehmium fefellisse statim intelleges, ubi inspexeris epitomatorum verba (p. 184 sq. Rob.):

Epit. XL: *χρόνον δὲ ἱκανὸν ὁμιλούντων αὐτῶν ἐκ τῆς φαρέτρας αὐτοῦ βέλος ἐξέπεσεν.*

Schol. Arat. omittunt.

Schol. Germ. BP: *Cuius hospitio Hercules usus ex pharetra delapsa sagitta Chironis pedem vulneravit.*

Hyginus: *Fertur una earum* (sc. sagittarum) *decidisse.*

Aratus Latinus (Comm. in Ar. p. 265): *excidit sagitta supra pede Chironis.*

Catasterismi igitur non centaurum vulneratum ab Hercule narrant, sed quis vulneraverit omnino in medio relinquunt. Itaque quod poeta in Chironem ipsum culpam contulit, offendere non potest. Tamen alio fonte usum esse poetam in Metamorphosibus suspicor. Non discrepant quidem inter se fabulae utriusque libri, nam et in Metamorphosibus et in Fastis Aesculapium uni tantum homini vitam reddidisse narrat poeta, ut mihi quidem videtur. Alii aliter censent; dissentiunt enim inter se viri docti propter versus Fast. VI 750 sq.:

Profuerant Glauci manibus illa prius
Tunc cum observatas augur descendit in herbas
Usus et auxilio est anguis ab angue dato.[8])

Qui versus quomodo sint declarandi, incertum est. Nonnulli versum 751 et sequentem eiciendos esse putant, quod, ut Rehmius dicit, Ovidium Polyidi fabulam, quae his versibus attingitur, cognovisse aliis locis non confirmatur. Quae, ut secludamus hos versus, sufficere nego; nam etiam aliis locis Ovidius breviter commemorat fabulas, quas nec ipsas usquam alibi explicavit; ut exemplum

[8]) ita tradunt codices.

Digitized by Google

afferam, perpaucis Oedipi fabulam attingit, alibi ab ipso non commemoratam (Met. VII 759 sq.):

Carmina Laïades non intellecta priorum
Solverat ingeniis, et praecipitate iacebat
Immemor ambagum vates obscura suarum.

Praeterea si versus eiceremus, Aesculapium etiam Glaucum servasse hoc loco narraretur. Quod fieri posse nonnulli contendunt, quia etiam apud alios legitur.[9]) Tamen Nasonem exposuisse Aesculapium etiam Glaucum servasse incredibile esse puto. Nam quoniam de Hippolyto idem antea dicitur, si versus exstingueremus, Aesculapium bis hominibus vitam reddentem descripsisse poetam appareret. At haec cum iis discrepant, quae Ovidius explicat in versu 759 sq:

Iuppiter, exemplum veritus, direxit in ipsum
Fulmina, qui nimiae moverat artis opem.

Nam poeta si iam antea Aesculapium hominem in vitam reduxisse narravisset, non potuit scribere *exemplum veritus*, sed unum Hippolytum esse servatum ab Aesculapio rettulit. Ehwaldius quidem[10]) legit pro *augur* in versu 751 *anguis*. Sed primum haec emendatio et ipsa respicit ad fabulam Glauci ab Aesculapio servati quam hoc loco non esse narratum demonstravi; deinde autem poetam in duobus versibus, qui cohaerent, vel ter vocabulo *anguis* esse usum ut putem, a me impetrare non possum, quod ex lege artis haec esse dicta negem:

Tunc cum observatas anguis descendit in herbas
Usus et auxilio est anguis ab angue dato.

Itaque servandi sunt versus, neque causa est cur poetam Polyidi fabulam non commemorasse putemus. Difficultatem quidem praebent verba, quibus explicatur *augurem* descendisse *in observatas herbas*; nam ita

[9]) cf. Hyg. fab. 49.

[10]) Jahresber. üb. d. Fortschr. d. Klass. Altert. Wiss. vol. CIX. p. 247.

Digitized by Google

Ovidium dixisse veri est dissimile. Qua re Merckelius scripsit:

Tunc cum observatas anguis descendit in umbras
Usus et auxilio est augur ab angue dato.

Censet igitur vir doctissimus *anguis* et *augur* errore ex altero versu in alterum venisse. Cui assentior hoc modo optime restitui posse hos versus. At cur pro verbis *in herbas* sit scribendum *in umbras* equidem intellegere non possum; nam alteram anguem alteram in vitam reduxisse herbas afferentem fabula narrat.[11]) Qua re hac ratione versus restituendos puto:

Tunc cum observatas anguis descendit in herbas,
Usus et auxilio est augur ab angue dato.

In utroque igitur libro explicat poeta Hippolytum tantum servasse Aesculapium. Tamen in Metamorphosibus non eundem fontem, quem in Fastis — Catasterismos scilicet — poetam secutum esse censeo. Primum enim in Metamorphosibus Ocyrrhoës fatum alia ratione profert Ovidius, alia Catasterismi exponunt (Epit. c. XVIII p. 120 sq. Rob.; cod. T, R. pr. p. 4; Ar. Lat., Comm. in Ar. p. 218); deinde etiam fabulam de centauro, quam coniunxit cum verbis de Aesculapio in Metamorphosibus, aliter explicat atque in Fastis. Nam in Metamorphosibus praecipue praedicatur centaurum doloribus cruciatum libenter immortalitatem abiecisse; sed nihil de hac re in Fastis, ubi eum immortalem fuisse omnino non commemoratur.[12])

Iam nobis considerandae sunt descriptiones, quae de Europae raptu leguntur in utroque libro (Met. II 833 sqq. — Fast. V 605 sqq.). Moschi de Europae raptu carmine, quod in Metamorphosibus poetam adhibuisse demonstravit Vollgraffius,[13]) etiam in Fastis Ovidium

---

[11]) cf. Hyg. fab. 136.

[12]) In scholiis Basileensibus (Rob. p. 184) legi: *quo exutus immortalitate* me non effugit. Tamen Catasterismos haec narrasse hic unus scholiasta demonstrare non potest.

[13]) De Ovidii mythopoeia, diss. Berol. 1901, p. 61 sq.

Digitized by Google

usum esse constat. Neque vero, ut censet Vollgraffius, memoria Moschi versus tenuisse Naso mihi videtur, sed etiam Fastorum locum componentem eum epyllion inspexisse puto; nam in Fastis Moschi poema Ovidium non solum, ut in Metamorphosibus, adhibuisse puto *unde flores,* sed etiam unde res peteret. In Metamorphosibus enim omissa in Fastis haec exponit: Europam ex Iove gravidam peperisse, tertiam terrae partem Europae nomen accepisse. Idem eadem brevitate Moschus attingit (v. 14 sq.):

. . . . . αὐτῇ
ἐκ Διὸς αἰγιόχου γέρας ἔμμεναι Εὐρώπειαν.

v. 160:

. . . ἐξ ἐμέθεν δὲ κλυτοὺς φιτύσεαι υἷας.

Itaque, quoniam praecedentes versus Ovidium ex Moschi carmine hausisse apparet, alio ex fonte eum haec sumpsisse ut putemus causa non adest. Sed quae neque in Metamorphosibus neque apud Moschum inveniuntur, refert poeta in Fastis v. 167:

Taurus init caelum . . . . . .

De mutatione igitur commemorat. Quod Ovidius, quem Metamorphoseon libros scribentem, ubicunque occasio tulerit, de corporibus in alias figuras transgressis libenter rettulisse manifestum est, hanc fabulam tractans non in Metamorphosibus, tamen in Fastis mutationem narravit, mirum est; itaque eum in Fastis praeter Moschi epyllion alium fontem in Metamorphosibus neglectum ascivisse puto: Catasterismos, qui breviter mutationem attingentes eodem modo quo poeta addunt alios Ionem vaccam in hoc sidus esse mutatam putare (Epit. c. XIV p. 106 sq. Rob.; cod. T, R. pr. p. 4; Ar. Lat., Comm. in Ar. p. 211). Idem poeta v. 619 sq.:

Hoc alii signum Phariam dixere iuvencam,
Quae bos ex homine est, ex bove facta dea.

In Metamorphosibus (I 568 sqq.) quamquam copiosissime narravit Ius fabulam, etiam de his nihil protulit.

Digitized by Google

Restat ut nonnulla disputem de verbis, quae fecit poeta de Venere Typhoëum fugiente. In Met. V 331 breviter commemorans dicit:

Pisce Venus latuit. . . . .

Quibus poetam Venerem deam in piscem mutatam expressisse significant versus 325 sq.:

Huc quoque terrigenam venisse Typhoëa narrat,
Et se mentitis superos celasse figuris.

Aliter Ovidium in Fastis rem descripsisse ostendam. Hauptius quidem in Metamorphoseon editione adnotat: *In den Fasten II 459 lässt Ovid die Venus und den Cupido vor dem Typhon zum Euphrat fliehen und in Fische verwandelt werden.* Sed hoc fefellisse virum doctissimum puto, quod omnino alia ratione Ovidius in Fastis fabulam adumbravit. Hoc enim in opere non mutatam Venerem, sed cum Cupidine a piscibus ablatam et servatam esse explicat, ut demonstrant v. 459 sq.:

Te (sc. piscem) memorant fratremque tuum . . .
. . . . . duos tergo sustinuisse deos.

Itaque Fastorum narratione haec referuntur: Venus et Cupido, quem in Metamorphosibus silentio praeterit poeta, Typhoëum fugientes et in mare prosilientes piscium tergis ablati servantur.

Haec poetam tractasse ostendunt etiam versus 471 sq:

. . . . . pisces subiere gemelli,
Pro quo nunc — cernis! — sidera nomen habent.

Itaque Ovidius non, quae fuit Hauptii opinio in Fastis Venerem in piscem formatam tradidit, sed alium fontem in Fastis alium in Metamorphosibus secutus varia ratione fabulam tractavit.

Digitized by Google

Vita.

Natus sum Bruno Pressler pridie Non. Octob. a. 1880 Parthenopoli patre Ricardo matre Augusta e gente Gutsmuths, quos adhuc vivos gratissimo veneror animo. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis a patre carissimo, deinde in ludo publico imbutus a. 1889 a parentibus in scholam missus sum, quae vocatur Domgymnasium. Inde vere a. 1899 cum maturitatis testimonio dimissus Halas me contuli, ut studiis philologicis et historicis enixe operam darem. Per duo semestria etiam studiis germanicis me dedi.

Docuerunt me viri doctissimi: Bechtel, Blass, Burdach, Dittenberger, Droysen, Ehwald, Fries, Haym †, Ihm, Maurenbrecher, I. Meier, Ed. Meyer, Rachfahl, Robert, Uphues, Vaihinger, Wissowa.

Proseminarii philologici sodalis fui v. d. Wissowa moderante; seminarii philologici per tria semestria sodalis fui ordinarius regentibus vv. dd. Blass, Dittenberger, Wissowa.

Praeterea mihi permiserunt, ut interessem exercitationibus historicis Ed. Meyer, philologicis Ihm, germanicis J. Meier, paedagogicis Fries.

Quibus omnibus viris clarissimis gratias ago quam maximas, imprimis Georgio Wissowa viro doctissimo optimeque de me merito, qui me, cum hac in dissertatione componenda occupatum consiliis subsidiisque litterariis summa cum liberalitate humanitateque instrueret, vel maxime sibi devinxit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RETURN TO ➡ **CIRCULATION DEPARTMENT**
202 Main Library
15287

LOAN PERIOD 1 **HOME USE**	2	3
4	5	6

ALL BOOKS MAY BE RECALLED AFTER 7 DAYS

RENEWALS AND RECHARGES MAY BE MADE 4 DAYS PRIOR TO DUE DATE.
LOAN PERIODS ARE 1-MONTH, 3-MONTHS, AND 1-YEAR.
RENEWALS: CALL (415) 642-3405

DUE AS STAMPED BELOW

JUL 18 1991		
~~AUTO DISC AUG 05~~ 91		

UNIVERSITY OF CALIFORNIA, BERKELEY
FORM NO. DD6, 60m, 1/83 BERKELEY, CA 94720

Digitized by Google

U.C. BERKELEY LIBRARIES
C008646189

Digitized by Google